APOCALYPSIS IESV CHRISTI, REVELATA PER ANGELVM DOMINI, EXCEPTA atque conſcripta à Ioanne Apoſtolo & Euangeliographo;

Breui, perſpicua, & methodica temporum & perſonarum deſignatione, expoſita

Per IOANNEM FOORTHE.

2.Cor.12.9.
ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου.

T. Braxe



LONDINI,
Excudebat Vidua Thomæ Orwini impenſis
Rodulphi Iackſoni & Roberti Dexter.
1597.

CLARISSIMIS VIRIS Cantianis, D. Drew Drewrie, D. Edouardo Hobbie, D. Henrico Palmero, D. Antonio Sentlegero Equitibus; D. Petro Manwoode, D. Guilielmo Cromer, D. Michaeli Sondes, D. Guilielmo Partherich, D. Henrico Finch, D. Edouardo Fagg, D. Ioanni Dearing, D. Francisco Bourne, D. Ioanni Edwards, D. Nicholao Vpton, & D. Ioanni Vpton generosis: Ioannes de Vado, Anglicè *Foorthe* vel *Foorde*, gratiam & pacem à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo.



Ogitanti mihi sæpenumero & memoria repetenti beneficia Dei, quæ in genus humanum contulit innumera, præsertim in suos electos, quos præscivit ac prædestinauit ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, & inprimis verbum ipsius, literarum monumentis consignatum, perpetuáque prædicatione per quamque ætatem annuntiatum in Ecclesia, qua totam eloquitur gloriam suam; occurrit illud Dauidis prophetæ Psal. 139.17. O quàm pretiosæ sunt cogitationes tuæ, Deus fortis, quàm numerosæ sunt summæ earum! Narrarem illas, sed arenâ plures sunt. *Atque vt cætera verbo patefacta hoc tempore prætercam, illud, de quo monet huius libri argumentum, summo studio semper recolendum, Deum clementissimum patrẽ nobis seruis suis, qui, dum peregrinamur in hoc mundo, peregrè absumus à Domino, prædicere dignatum esse omnia huius vitæ incommoda, offendicula, & afflictiones, quò nobis diligentiùs ab illis caueamus, fortioribus animis feramus, minùs miremur aut animis deficiamus. Noë enim prædixit cataclysmum illum vniuersalem, quo totum orbem terrarum inundauit, Gen 6. Abrahamo prædixit seruitutem Ægyptiacam Gen.* 15.13. *nempe posteros eius peregrinos fore annos quadringentos in terra aliena. Israëlitis ex Ægypto postea liberatis, generatim futura prædicens, denuntiauit amplissimas promissiones obseruantibus mandata, & transgredientibus iudicia grauissima, Leuit.* 26. *& Deut.* 28. *Vaticinium illud Deut.* 32. *in morem cantici conscribi iussit, ne vnquam ex animis Israëlitarum efflueret. Iudæis Babylonicam captiuitatem annorum septuaginta prædixit Ierem.* 25.11.

Iisdem è Babylone reducibus euenturas ante primū Christi aduentū calamitates prædixit Ezec. 38. & 39. Dan. 11. Neque nobis defuit prouidentia diuina in nouo Testamento. Christus enim Matt. 10. 34. se venisse, ait, gladiū missurū in terram. Et alibi, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me, Mat. 16. 24. Sed breui vaticinio cōplexus est Matth. 24. quicquid futurū sit vsq; ad finē seculi, idque duabus vicibus: primò, à versu quarto incipiēte ad vers. 15. secundò, Excidio vrbis Hierosolymitanæ exposito à vers. 15. ad vers. 23. continuat prophetiā ad extremū vsq; iudiciū, de quo incipit disserere vers. 30. & sequentibus ad finē cap. 25. Hic autē liber Apocalypseωs, tribus primis capitibus exceptis, in quibus tamen quædā prædicta sunt c. 2. 10. & 3. 10. totus est propheticus, in quo personis designatis, quæ sunt ecclesiā persequuturæ distinctis tēporibus & eorū interuallis, quibus erit afflictio aut relaxatio, & generibus miseriarum ærumnarumque expositis, quibus visum est maiestati diuinæ tum suos probare, tum aduersarios torquere; copiosè describit Apostolus casus infestos, subitas vicissitudines variaque huius vitæ certamina, è quibus omnibus quum suos demum liberauerit, ac in cœlum receperit, impios æterno exitio perditurus est.

Hæc autem subobscurè scripta sunt & ænigmaticè mirâ Dei prouidentiâ, ita scilicet vt videant pij & intelligant, improbi ne animaduertant. Si enim qui hoc libro denotantur, præsertim Imperatores & Pontifices Romani, sua ipsorum nomina expressa, crudelitatem prædicatam, fraudem detectam, tyrannidem descriptam, malitiam notatam intellexissent, actum iam olim fuisset de hoc libro, quem nonnulli lucem eius non ferentes, sæpius conati sunt abolere. Nam Marcion anno Christi 141. & post alij hæretici anno 167. quos ex re in qua errarunt, alogos appellat Epiphanius hæres. 51. prorsus negarunt hunc librum esse apostolicum aut canonicum. Et illorum temporum opiniones de isto libro narrat Eusebius hist. Eccles. lib. 7. cap. 25. Deinde Papistæ circa annum 1190. vel 1194. (quo tempore multi boni viri reuelatum iam tunc Antichristum præsertim in Hildebrando & Paschale 2. prædicarunt palam, veluti Concilium in Vangionum vrbe Quinquagenalibus habitum, Antistes Fluentinus, & Ioannes Sarisburiensis cum multis alijs) per Cyrillum quendam visionarium hanc Apocalypsim, quâ se notari animaduerterint, delere funditus conati sunt, & in eius locum reuelationem diabolicam eiusdem Cyrilli papistæ & pseudoprophetæ substituere. Nostris autem his diebus


bus languentes & morituros iam iam papistas, in mortuos potius dicam, tantopere tamque grauiter vrit hic liber, vt eum suo ipsorum exitio miserè detorqueant, deprauent, & millies extinctum sed serò cupiant. Veruntamen vtut improbis huius libri mysteria clausa fuerint & occulta maxima ex parte, & quicquid in eo potuerunt unquam quasi per rimas cernere, totis viribus oppugnarunt: pij tamen maximam huius partem viderunt, agnouerunt, & prædicarunt, librumq; canonicum semper iudicarunt. Iustinus enim Martyr recordatur huius libri, manifestè illum Apostoli esse dicens, vt inquit Eusebius lib. 4. cap. 18. Irenæus lib. 5. cap. 21. inquit: Manifestius adhuc etiam de nouissimo tempore, & de his qui sunt in eo decem regibus, in quos diuidetur quod nunc regnat imperiũ, significauit Ioannes Domini discipulus in Apocalypsi. Apoc. 17. 12 *Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem inquit: Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias. Nã etsi Apocalypsim eius Marcion respuit, ordo tamẽ episcoporũ ad originẽ recensus, in Ioannem stabit authorem. Origenes apud Eusebiũ lib. 6. cap. 25. inquit. Quid de Ioanne dicendũ, qui supra pectus Domini Iesu recubuit, qui vnum Euangeliũ reliquit, simulq; fassus est, tã multa posse scribi Euãgelia, vt mundus ea si scriberentur capere nõ posset. Scripsit autẽ et Apocalypsim, iussus silere, & non scribere septẽ tonitruorũ verba. Cyprianus sermone tertio, de bono patiẽtiæ inquit: Et in Apocalypsi Angelus Ioanni volẽti adorare se resistit Apoc. 19.* Apoc. 10. 4 *Hieronymus in Catalogo inquit: Quarto decimo igitur anno, secundã post Neronẽ persequutionẽ mouẽte Domitiano, in Patmos insulã relegatus, scripsit Apocalypsim, quã interpretatur Iustinus martyr, et Irenæus. Hieronymus deniq; ad Dardanũ ait, veteres scriptores plerunq; huius libri testimonijs vti, nõ vt interdũ de apocriphis facere solent, sed quasi canonicis et Ecclesiasticis. Ex quo verò in lucẽ prodijt Antichristus Romanus, qui præ cæteris in Apocalypsi perstringitur, omnes omniũ ætatũ fideles serui & ministri Iesu Christi, ipsam agnouerũt scortũ esse Babylonicũ, & meretricẽ Apocalypticã, præsertim ex quo Hildebrãdus ille sceleratus regnauit.*

Quum igitur huius libri authoritas semper viguit in Ecclesia Christi, ex quo eum literis prodidit Ioannes apostolus, summaque rerũ, quæ in eo continentur, doctis immò & indoctis plerisque satis semper perspecta fuit: nihil hic à me noui affertur, neque nouitatem sum affectatus, sed in hoc desudaui, vt quæ prius erant aperta, tum methodica dispositione, tum locorum, temporum, & personarum designatione simplici, quatenus à me fieri potuit, redderem apertiora, vt de

 perspi-

perspicuitate historiæ propheticæ potiùs quam de rerum iudicio me laborasse constet. Libertate fateor magna vsus sum. Quid verò præstiterim, penes Spiritum Christi, qui in ecclesia residet, iudicium esto. Vult enim Paulus spiritus Prophetarum Prophetis subiectos esse 1. Cor.14.32. Hoc ingnuè profiteor, desiderio benè merendi de sanctis Dei, me meo iudicio vehementer teneri. Quid enim aliud agerem dum in hoc malò mundo sim peregrinus, quod Deo meo gratum sit, quàm
Psal.16.3. benè velle fratribus. Quamuis autem non dubium sit, quin hac expositione sum experturus, quod Aristo Chius de philosophis dicere solebat, nocere eos audientibus ijs, qui benè dicta male interpretarentur, nempe vt papisticos omnes grauiter irritem (vt enim asoti ex Aristippi, & acerbi ex Zenonis schola exierunt: ita hac Apocalypsi benè intellecta penitusque perspecta, multi sunt vitiosi & deteriores discessuri) non tamen propterea tacenda sunt, quæ in suorum gratiam scripserit Dominus, idquod Apostolū nostrum monuit Christus Apoc. 22.11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc. Improbè enim agent improbi, nec animaduertent vlli improbi: sed erudientes animaduersuri sunt, Dan.12.10. Quòd hunc meum laborem vobis Cantianis viris illustribus, scriptum & dicatum volo, tres sunt causæ, quæ me impulerunt: vna, vt animi mei gratitudinem erga nonnullos vestrûm ostenderem, à quibus diu iam fuerim & summis affectus beneficijs: altera, vestra omnium erga me beneuolentia, quam sæpius expertus sum: tertia, vt maiorem in vobis amorem veritatis accenderem maiusque concitarem odium erga tyrannidem omnem papisticam, quæ non ecclesiam modo Christi, sed regna etiam & respublicas euertit, & euersura est, in quibus stabilitur, vt ex sola Hispania de cæteris facile sit iudicare. Quatuor iam plenis annis, varijs modis impeditus, tardiùs quam vellem & breuius hæc vobis mitto, quæ si ecclesiæ Christi vtilia fuerint vobis scio erunt grata. Deum Optimum Maximum precor, vt vos, viri Cantiani illustres & generosi, cæterosque omnes, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum ad immortalitatem, omni benedictione spirituali ornatos, verbo suo quotidie magis magisque illustret, potenti sua virtute suffulciat, ac demum ad sempeternam gloriam perducat per Iesum Christum Dominum nostrum. Anno Christi. 1597.

Tabula summatim perstringens totius libri argumentum.



- 1. Descriptio præsentis status Ecclesiæ, vt tum erat, tribus primis capitibus.
- 2. Prophetia futuri status Ecclesiæ
  - 1. Militantis, estque duplex id est, prophetia vna bis exposita,
    - 1 Prior prophetia constat
      - 1. Visione cap. 4. & 5.
      - 2. Prædictione rerum futurarũ, quatuor temporibus distinctarum,
        - 1 Ab illo tempore ad Constantinum magnum. Hæc sigillis sex narratur, & quatuor sunt
          - 1. Promulgatio Euangelij sigillo primo cap. 6. 2.
          - 2. Miseriæ sequentes tribus proximis sigillis cap. 6. 3. &c. ad vers. 9.
          - 3. Salus occisorum pro testimonio Iesu sigillo quinto cap. 6. 9, 10, 11.
          - 4 Panolethria hostium Ecclesiæ sigillo sexto cap. 6. 12. è qua liberantur electi cap. 7.
        - 2. à Constantino ad instaurationem Euágelij. Hæc tubis sex narrantur, quarũ
          - 1. Quatuor minores sunt tentationis à Constantino ad Papatum tuba
            - Prima per Arium cap. 8.7.
            - Secunda per Constantium & Iulianum Apostatam cap. 8.8.
            - Tertia per Macedonium pneumatomachum cap. 8.10.
            - Quarta per Nestorium & Eutichetem cap. 8.12.
          - 2. Duæ maiores sunt punitionis à Papatu ad restitutionem Euangelij, tuba
            - Quinta per Papam cap. 9.1.
            - Sexta per Mahumetem cap. 9.13.
        - 3. Ab instauratione Euangelij, ad finem seculi cap. 10. &
        - 4. In fine seculi, tuba septima cap. 11. 15.
    - 2. Posterior cap. 12 estque duplex,
      - 1. à Christo nato ad nostra tempora constat partibus duabus,
        - 1. Prophetiã duorũ temporum
          - 1. à Christo nato ad annum 1320. de fideliũ
            - 1. Afflictione cap. 12. & 13.
            - 2. Professione cap. 14. 1, 2, 3, 4, 5.
          - 2. Ab anno 1320. ad hanc diem
            - 1. Instauratio Euangelij cap. 14. 6, 7.
            - 2. Ruina Babylonis cap. 14. 8.
            - 3. Iudicia Dei cap. 14. 14. &c.
        - 2. Expositione cap. 17. & 18. & 19.
      - 2. Ab instauratione Euangelij anno 1320, ad finem seculi cap. 20.
  - 2. Triumphantis in cœlis, duobus postremis capitibus.

APO-

APOCALYPSIS IOANNIS APOSTOLI.

ANALYSIS. Cap. I.

- Cap. I. partes sunt duæ,
  - 1. Inscriptio generalis, tribus primis versiculis.
  - 2. Tractatio, quæ cõstat
    - 1. Salutatione communi, vers. 4. &c.
    - 2. Visione, cuius
      - 1. Circunstantiæ, vers. 9.
      - 2. Summa constat ex
        - 1. Auditis, vers. 10, 11.
        - 2. Visis. vidit
          - 1. Septem candelabra, vers. 12.
          - 2. Quẽdã similem filio hominis, cuius
            - 1. Subiunctum. 2. Adiunctum. { Locus. Vestitus. } vers. 13
            - 3. Partes corporis, vers. 14, 15. { Caput. Oculi. Pedes. }
            - 4. Facta
              - 1. Vocem edit, vers. 15
              - 2. Tenet in dextra stellas. 3. Emittit ex ore gladiũ. } vers. 16.
      - 3. Expositio
        - 1. Vocis (quam vers. 10. audiuit) vers 17. q.d. sum Deus omnipotens.
        - 2. Hominis (quem vers. 13. vidit) vers. 18. q.d. Christus sum.
        - 3. Mandati (vers. 11. dati) & vocationis, vers. 19.
        - 4. Mysterij candelabrorum (visorum vers. 12.) & stellarum (visarum vers. 16.) vers. 20.

CAP. I.

APocalypsis Iesu Christi, quam dedit ipsi Deus, vt indicaret seruis suis quæ oporteat fieri citò: is *verò missam per Angelum suum, seruo suo Iohanni significauit.*

2 Qui

2 *Qui testificatus est sermonem Dei, & testimonium Iesu Chri-*
sti, & quæcunque vidit.
3 *Beatus qui legit,* & beati *qui audiunt verba prophetiæ huius: &*
obseruant ea quæ in ea scripta sunt, tempus enim propè est.
4 *Ioannes septem Ecclesijs quæ sunt in Asia: Gratia* sit *vobis &*
pax à Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est: & à septem Spiri-
tibus qui in conspectu throni eius sunt:
5 *Et à Iesu Christo,* qui est *fidus ille testis, primogenitus ille ex*
mortuis, ac princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à pecca-
tis nostris per sanguinem suum:
6 *Et fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo: ei,* inquam,
gloria & robur in secula seculorum. Amen.
7 *Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam*
qui eum transfixerunt: & plangent coram eo omnes tribus terræ, e-
tiam, Amen.
8 *Ego sum* Α *&* Ω, id est, *principium & finis: dicit Dominus,*
Qui est, & qui erat, & Qui venturus est, ille (inquam) *omnipotens.*
9 *Ego Ioannes,* qui *& frater vester* sum, *& socius in afflictione,*
& regno & tolerantia Christi Iesu, eram in insula quæ vocatur Pat-
mos, propter sermonem Dei & testimonium Iesu Christi.
10 *Fui* autem *Spiritu correptus die Dominico, & audiui à tergo*
vocem magnam tanquam tubæ:
11 *Dicentis, Ego sum* Α *&* Ω, *primus ille & vltimus: &, Quod*
vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesijs quæ sunt in Asia, E-
phesi & Smyrnæ, Pergami, & Thyatiræ, & Sardibus, & Philadel-
phiæ, & Laodiceæ.
12 *Conuersus sum igitur vt viderem vocem quæ loquuta erat*
mecum. Conuersus autem vidi septem candelabra aurea.
13 *Et in medio septem candelabrorum aureorum* quendam *simi-*
lem Filio hominis, indutum talari veste, *& præcinctum ad mamillas*
zona aurea.
14 *Caput autem eius & capilli* erant *candidi vt lana alba, tan-*
quam nix: & oculi eius vt flamma ignis.
15 *Pedes autem eius similes chalcolibano, veluti in fornace ar-*
dentes: & vox illius tanquam vox aquarum multarum.
16 *Habebat autem in dextra sua stellas septem: & ex ore eius an-*
ceps gladius prodibat, & facies eius qualis sol in suo vigore lucet.
17 *Quum autem vidissem eum, cecidi ad pedes eius veluti mor-*
tuus:

tuus: tum imposuit mihi dextram suam, dicens mihi, Ne metue: ego sum primus & vltimus.

18 *Et qui viuo, sed fui mortuus, & ecce viuo in secula seculorum, Amen. & habeo claues inferorum & mortis.*

19 *Scribe quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ post hæc sunt futura,*

20 *Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextra mea, & septem candelabra aurea. Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem quæ vidisti, septem Ecclesiæ sunt.*

ANNOTATIO.

Apocalypsis Iesu Christi] ἐπιγραφὴ siue inscriptio totius libri duo- Inscriptio.
bus primis versiculis continetur, cui subiungitur epiphonema ver. 3.
In inscriptione hæc quinque, genus, author, finis, argumentum scrip- Genus
ti, & modus communicationis summâtim exponuntur. Genus scrip- scripti.
ti demonstratur synecdochicè communi apocalypseos siue reuela- Author.
tionis nomine. Quum enim duobus modis voluntatem suam olim
patefecit Dominus Ecclesiæ, scilicet per visionem, aut per somnium
Num. 12. 6. Iob. 7. 14. communi reuelationis nomine denotatur
prior modus, nempe visio. Hæc enim quæ sequuntur omnia Ioanni
vigilanti reuelantur per visiones, non autem dormienti per somnia.
Author huius scripti est Deus, qui solus in sua habet potestate reue-
lare abscondita. Modus communicationis est ordo in prophetijs Reuelatio-
tradendis vsitatus & sæpe obseruatus. Huius enim doctrinæ author nis modus.
statuitur Deus essentialiter sumptus; Christus mediator; cuius in-
teruentu & intercessione (Heb. 7. 25. & 9. 24.) nobis panduntur my-
steria Dei infrà, cap. 5. Porrò Christus quæ obtinuit à Deo, ea mini-
sterio angeli annuntiat Ioanni, Ioannes autem nobis. Est igitur hæc
prophetia à Deo data, à Christo mediatore accepta, Angeli mini-
sterio Ioanni delata, à Ioanne nobis annuntiata. Hic inquam est or-
do prophetiarum tradendarum. Nam Christus est mediator inter
Deum & hominem ab initio mundi, ex quo lapsus est Adam. Nec
quicquam nobis communicatur à Deo, nisi propter Christum me-
diatorem, qui est Agnus ille mactatus iam inde à iactis mundi fun-
damentis Apoc. 13. 8. Itaque Abraham vidit ipsum & gauisus est,
Ioan. 8. 56. & alij eius nomine inuocarunt Deum, vt liquit ex 2. Sam.
7. 21. Psal. 84. 10. Esaiæ. 10. 27. Dan. 9. 17. Hagg. 2. 5. Quum au-
tem lex lata fuit Exod. 19. & 20. Christus erat mediator Act. 7. 35, 38.
Galat. 3. 19. Item quando Esaias cap. 6. vidit magnificam illam vi-

 sionem,

ſionem, vt colligitur ex Ioan. 12.41. In illa viſione Ezechieli oſtenſa, fuit etiam Chriſtus mediator, Ezech. 1.26. Eundem mediatorem vidit Daniel, cap. 7.13. Angelorum autem operâ vtitur tum Deus, tum Chriſtus θεάνθρωπος, quoties rebus externis pulſandi ſunt ſenſus noſtri, vt ferè fit in viſionibus, ſicut eſt videre in locis prænotatis. Nulla autem fit expreſſa mentio Spiritus ſancti, neq; Chriſti λόγου, quia extrinſeca Trinitatis opera ſunt indiuiſa.

Apoc. 22. 16.

Finis.

Finis reuelationis eſt, vt Chriſtus θεάνθρωπος eam patefaciat ſeruis ſuis, id eſt, fidelibus. Operæ pretium eſt igitur ea ſcrutari & explanare, quæ noſtri cauſa ſcripta ſunt. Argumentum totius libri bis exprimitur: primùm verſ. 1. ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, Quæ oporteat fieri citò. Secundò, verſ. 2. Ioannes, cui hæc myſteria reuelantur, vt is eadem annuntiet eccleſiæ, teſtificatus eſt ὅσα εἶδε, quæcunque vidit, id eſt, totum illud quod ei videndum exhibuerunt angeli. Sed argumentum in quibuſdam codicibus apertiùs etiam exponitur, & ad finem verſ. 2. expoſitionis vice apponuntur hæc verba; καὶ ἅτινά εἰσι, καὶ ἃ χρὴ γενέσθαι μετὰ ταῦτα, id eſt, quæ ſunt, & quæ poſthæc oporteat fieri. Quamobrem hæc verba in omnibus codicibus contextui rectè interſeri poſſe cenſeo, quia ſummam totius libri continent, & quia deinceps verſ. 19. huius capitis exprimuntur. Sunt enim capita huius libri in vniuerſum duo: prius continet deſcriptionem præſentis ſtatus eccleſiæ, prout tunc erat, tribus primis capitibus: poſterius prophetiam futuri ſtatus eccleſiæ vſque ad finem ſeculi, capite quarto & ſequentibus ad finem huius libri. Atque viſiones item ſummatim ſunt duæ: vna hoc capite primo, quæ incipit verſ. 9. altera capitibus duobus, ſcilicet quarto & quinto. Quum autem duas tantum dico eſſe viſiones huius libri, non intelligo duas ſolummodo res Ioanni exhibitas, vt eas exponeret eccleſiæ; multas enim res vidit: ſed Dominum bis tantum ei apparuiſſe: primùm hoc capite vt oſtendat præſentem ſtatum eccleſiæ: deinde cap. 4 & 5. vt futurum ſtatum prænuntiet.

Argumentum totius libri.

Partes reuelationis ſunt duæ.

Reuelationis partes ſunt duæ:
- 1. Deſcriptio præſentis ſtatus eccleſiæ, tribus primis capitibus.
- 2. Prophetia futuri ſtatus eccleſiæ, cap. 4. &c.

Verſ. 4.

Ioannes ſeptem eccleſijs] Abſoluta inſcriptione generali, aggreditur apoſtolus munus ſuum, & imprimis præmittit ſalutationē quinque

que versibus; deinde visiones sibi exhibitas communicat cum ec-
clesia, infrà vers. 9. In salutatione ista plane apostolica nihil est non
apertum, nisi hoc vnum, quòd gratiam ecclesiæ precatur distinctè
magis quam alij solent, à Patre, Spiritu sancto, & Filio. Cuius ratio
est, quòd in duabus, quas suprà dixi, præcipuis visionibus, apertiùs
vidit & distinctiùs personas, Filij quidem priori visione, quæ infrà
hoc capite habetur, & Spiritus sancti posteriori visione, cap. 4. vers. 5.
quàm vnquam prophetis in veteri testamento exhiberentur. Quam-
uis enim in illis, quas suprà paulùm retuli ex veteri testamento, vi-
sionibus, apparuit tota Trinitas, vt de Patre nemo dubitat, & de Filio
ostendimus ex Ezech. 1. 26. & Dan. 7. 13. & de Spiritu sancto liquet
ex collatione Esaiæ. 6. cum Act. 28. 25. & ex Esaiæ. 48. 16. tamen
obscura fuit personarum exhibitio, vt & cæterarum rerum omnium
in veteri testamento, præ manifesta & clara reuelatione ista, quam
vidit apostolus noster Ioannes, quem dilexit Dominus, Ioan. 21. 7.
Apostolus igitur Ioannes septem ecclesijs quæ sunt in Asia (quarum
nomine catholicam ecclesiam intelligit, vt patet ex vers. 1. vbi hæc
apocalypsis indicanda est seruis Christi omnibus sine exceptione, &
ex fine cuiusque septem epistolarum vbi amæbæum illud accinitur,
Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesijs) gratiam pre-
catur & pacem à Patre, Spiritu sancto, & Filio. Patrem præcipuè Pater.
intelligit his verbis, *A Qui est, & Qui erat, & Qui venturus erat:*
quibus expressit illud *ehjeh* Exod. 3. 14. vt præclarè annotauit D.
Beza. Deinde Spiritum sanctum intelligit sub nomine septem Spi- Spiritus
rituum qui sunt in conspectu throni; quia priùs viderat Spiritum sanctus.
sanctum sub figuris septem ignearum Lampadum ardentium ante
thronum, cap. 4. vers. 5. Sic etiam describit filium initijs septem epi-
stolarum, cap. 2. & 3. quemadmodū ante viderat eum cap. 1. vers. 13.
& sequentibus. Qua enim specie se exhibet videndum Deus, eadem
homines eum describant est necesse. Quod septem dicitur Spiritus,
non magis nos debet offendere, quàm quòd variæ linguæ igneæ in
singulis Apostolorum consedisse legimus Act. 2. Sed potiùs intel-
ligendum, septem dici, quia Spiritus sanctus communicatione vir-
tutis suæ, operumque diuinorum demonstratione in septem istas ec-
clesias ita se perfectè aperit, vt si totidem essent spiritus perfectè in
sua quisque ecclesia operantes, vt eruditè in hunc locum scripsit
insignis ille vir Dei Franciscus Iunius.

Verſ.5,6.

Filius. Triplex officiū Christi.

Et à Ieſu Chriſto] Denique Filium deſcribit duobus modis: primùm ab officio triplici, deinde ab effectis tribus. Officium triplex, nempe, prophetæ, ſacerdotis, & regis, declaratur priori hemiſtichio verſ.5. Tria eiuſdem officij effecta exponuntur poſteriori hemiſtichio verſ.5.&6. *Qui eſt fidus ille teſtis*] Propheticum munus. Nam fideliter nobis tradidit, quicquid audiuit à Patre Ioan.1.18. & 7.17.& 8.26.& 17.6. Heb.3.2. *Primogenitus ille ex mortuis*] Sacerdotium Chriſti ſynecdochicè denotatum. Niſi enim ſeipſum obtuliſſet pro peccatis noſtris, & verè fuiſſet mortuus, non potuit ex mortuis reſurgere & primogenitus eſſe ex mortuis. *Princeps regum terræ*] regium Chriſti munus.

Tria effecta officij Christi.

Qui dilexit nos] Sequũtur effecta officij Chriſti, ac primùm prophetici muneris his verbis, vt Chriſtus ipſe innuit Ioan.15.15. Vos dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. *Lauit nos*] effectum ſacerdotij eius. *Et fecit nos reges*] fructus regij muneris.

Verſ.7,8.

Ecce, venit] Duos iſtos verſiculos per exclamationem adiectos ſalutationi cenſeo, vt eccleſias reddat attentas ad ea percipienda quæ ſequuntur. Videtur eſſe enallage perſonæ verſ.8. eandem ob cauſam. Verſ.8. exponitur infra verſ.11.& 17.

Verſ.9,10.

Ego Ioannes] Oſtendimus ſuprà in verſ.1. duas à Spiritu ſancto conſtitutas eſſe partes huius libri, quarũ priorem nempe deſcriptionem præſentis ſtatus eccleſiæ quæ tunc erat, ingreſſus eſt apoſtolus ſuprà verſ.4. per ſalutationem communem: nunc ſequuntur viſiones, quæ ſunt in vniuerſum duæ; quarum prior quæ ad hunc locum pertinet, habetur reliquo hoc capite; poſterior cap.4.&c. vt ſuprà dictum eſt in verſ.1.

Diſtributio.

Quod ad priorem partem attinet, ſcilicet præſentem ſtatum catholicæ eccleſiæ, duo deinceps traduntur: primum viſionem continet reliquo hoc capite, ſecundum deſcriptionem præſentis ſtatus eccleſiæ capite ſecundò & tertio. Viſionis membra ſunt tria: primum exponit varias circunſtantias ad perſpicuam rei narrationem omnino neceſſarias verſ.9.& priori parte verſ.10. Secundum continet ipſam viſionem poſteriori hemiſtichio verſ.10.& ſequentibus

Prima pars viſionis.

ad vers. 17. Tertium interpretatur visionem posteriori parte ver. 17. & sequentibus ad finem capitis.

Circunstantiæ sunt præcipuè tres: persona scribens ista, locus vbi fuit, & tempus quando hæc scripsit: quibus duæ aliæ connumerari possunt, quarum vna pertinet ad locum & personam, videlicet causa, ob quam tum fuit in Patmo; altera partim ad personam partim ad tempus, nempe quòd fuit tum Spiritu correptus.

Persona manifestiùs declaratur, quam vt de scriptore huius libri dubitari potest. Quis enim alius Ioannem se toties nominasset bis hoc capite vers. 4. & 9. & infrà cap. 21. 2. & cap. 22. 8. nisi Ioannes aliquis celebris & omnibus ecclesijs notissimus? Quis exulabat tunc Ioannes in Patmo, nisi hic noster Apostolus? Quis vbique semper, & ab optimis in ipsa sancta & catholica ecclesia creditus est scriptor huius Apocalypseos nisi Ioannes dilectus Apostolus Iesu Christi? 1. persona. Euseb lib. 3 cap. 18.

Locus vbi hanc apocalypsin vidit, est Patmus, insula in mari ægeo. Hic exulabat Ioannes Apostolus propter sermonem Dei, & testimonium Iesu Christi. 2. Locus.

Tempus, quod ad diem attinet, fuit dies dominicus: annus verò fuit penultimus regni Domitiani, & nonagesimus sextus à Christo nato. Hoc loco & tempore fuit Spiritu correptus, id est, ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις, incidit in eum mentis excessus, vt de Petro dicitur, Act. 10.10. Eadem loquendi phrasis vsurpatur infrà cap. 4. 2. item Act. 22. 17. & 12. 11, Ezech. 8. 1. Animum scilicet habuit à rerum terrenarum cogitatione auocatum, & in diuinarum cognitionem omni cura studioque intentum. 3. Tempus.

Vers. 10. 11.

Et audiui à tergo] Secundum membrum in visione, vt suprà diximus in vers. 9. in quo narrat Apostolus primùm quid audierit reliquo hoc vers. 10. (etsi mallem vers. 11. hîc inchoare) & vers. 11. Secundò quid viderit vers. 12. & sequentibus vsque ad ver. 17. Audiuit vocem magnam vers. 10. Vox loquens primò eloquitur quis sit, inquiens, *Ego sum* A & Ω, &c. Deinde duo mandat Ioanni, primum vt scribat in libro quicquid viderit, tum vt idem mittat septem ecclesijs Asiaticis, id est, catholicæ ecclesiæ. Nam numerus septenarius sæpè hoc in libro perfectionem denotat, vt frequenter Secunda pars visionis.

etiam

etiam in alijs sacræ scripturæ locis, vt Num. 16. 4. 11. & 2. Chro. 29. 21. Prouerb. 9. 1. & alibi sæpissimè. Porrò hanc reuelationem communicandam esse cum omnibus seruis Dei constat ex vers. 1. huius capitis. Deniq; in fine cuiusque septem epistolarum vbique recurrit illud, *Qui habet aurem, quid Spiritus dicat ecclesijs*, vt suprà in vers. 4. obseruaui.

Vers. 12.

Tum conuerti me] Quid audiuit Ioannes modò dictum est: quid vidit sequitur exponendum. Summatim autem duo vidit; primum, septem candelabra aurea vers. 12. deinde quendam similem filio hominis, vers. 13. &c. De candelabris nihil hic dicendum, quia sequitur expositio eorum vers. 20. Quòd septem sunt, notant plenitudinem & perfectionem, vt modò dictum est de septem ecclesijs.

Vers. 13.

Et in medio septem] Altera pars visi, vt in ver. 12. diximus, in qua is qui apparuit, & qui similis filio hominis dicitur, quatuor modis describitur: primùm ex subiecto loco, scilicet, quòd erat in medio septem candelabrorum aureorum, vers. 13. Secundò ex adiuncto vestitu, 13. Tertiò, ex quibusdam partibus corporis vers. 14. & 15. & in fine vers. 16. Quartò, ex factis vers. 16. *Filio hominis*] Christo. Nam Christus præcipuè hac visione describitur. Attamen intelligendum est id quod ante monui in vers. 1. extrinseca Trinitatis opera esse indiuisa, nullamque exhibitam esse visionem maiestatis diuinæ in scriptura sacra, quin ibi sit tota Trinitas. Quod ad hanc visionem attinet, & ad alteram illam quæ sequitur cap. 4. operæpretium est legere quę scripsit Irenæus lib. 4. cap. 37. sub finem. In hac præsenti visione Patrem videre licet primis verbis quæ Ioannes audiuit, *Ego sum* Α *&* Ω. Christum hîc apertè describit, & in principio cuiusque epistolarum sequentium. Spiritum autem hîc comprehendi constat ex clausula cuiusque epistolæ, *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis*. Hinc enim patet Ioannem mandatum scribendi ad ecclesias accepisse à Spiritu sancto Qui autem apparet in hac visione, is est qui Ioanni præcipit. *Indutum talari veste*] qualis erat sacerdotum sub lege, Exo. 28. 4. Significat igitur Christum esse sacerdotum nostrum.

Præ-

Præcinctum] Quemadmodum cingebantur ſacerdotes baltheo, Exod. 28.4. Senſus eſt, Chriſtum ſacerdotem noſtrum in procinctu ſtare, eſſéque paratiſſimum ad munus ſacerdotale (quatenus iam reſtat) pro nobis obeundum, id eſt, ad interpellandum Deum pro nobis, & ſuffitum precum noſtrarum iugiter offerendum coram Patre. Vide ſimilem phraſim Apoc. 15.6. vide item Dan. 10.5.

Quod autem in medio ſtat candelabrorum, id eſt, eccleſiæ, ſignificat ipſum ſemper adeſſe in medio totius eccleſiæ catholicæ, & cuiuſque particularis eccleſiæ, vt promiſit Matth. 18.20. & 28.20. Itaque vicario Romano Antichriſto non eget, nec propior eſt vni eccleſiæ quam alteri, ſed vniuerſæ eccleſiæ, & cuiuſque ſeorſim eccleſiæ curam gerit, regimenque ſibi ſoli vendicat, vt apertiùs patebit in principijs ſequentium epiſtolarum.

Verſ. 14, 15.

Caput autem] Chriſtum ſolum Pontificem noſtrum ſacerdotali veſtimento indutum vidimus verſu proximo: ſequitur, id quod tertio loco poſuimus, deſcriptio quarundam partium corporis eius, videlicet, capitis & oculorum, verſ. 14. & pedum, verſ. 15. Caput, καὶ αἱ τρίχες id eſt capilli, q.d. caput quum dico, dico capillos candidos eſſe tanquam lanam albam, tanquam niuem. Senſus eſt, quòd præcellenti decore, nitore, ſplendore, & pulchritudine fuit, vt Cant. 4. 2. & 6.4. vel 5.

Oculi eius, &c. Pedes eius] Oculorum & pedum deſcriptio eodem pertinet, & duplicem poſſumus colligere ſenſum. Nam deſignat excellentiam præſtantiamque Chriſti vt in capillis deſcribendis, & vt Ezech. 40.3. Dan. 10.6. vel potentiam & iram deſcribit. q.d. eſt ignis conſumens inimicos ſuos, Heb. 12.29. ita enim deſcribitur infrà, cap. 2.18. & 19.12. & 10.1.

Deinde huc referendum puto quod in fine verſ. 16. de facie eius. q.d. immenſi fuit ſplendoris. niſi illis verbis id totum concludi quis malit, quod præceſſerat in deſcriptione.

Verſ. 16.

Vox illius] Quarto & poſtremo loco ſequuntur facta tria, nempe, 1. Quòd vocem edit tanquā ſonitum multarum aquarum. 2. Quòd ſeptem ſtellas (id eſt, doctores ſiue paſtores infrà verſ. 20.) tenet in

 manu

manu dextra. 3. Quòd gladium vtrinque acutum emittit ex ore. Hic igitur verſ.16.inchoarem.

Vox illius] Voce tanquam tonitru reuerentiam,timorem ſanctũ, & attentionem conciliare voluit,vt Exod.19. in lege ferenda. Vide Ezech.1.24.& 43.2. Ierem.10.13. *Habebat in dextra ſtellas*] Id eſt,miniſtros verbi in ſua poteſtate habet, primùm vt emittat eos in vineam ſuam pro beneplacito,tum vt emiſſos tueatur,denique vt eccleſiæ arbitratu ſuo moderetur. *Ex ore eius*] Vt Eſaiæ 49.2. Epheſ.6.17. Si clauſulam huius verſiculi ſuo loco retinere placet, erit repetitio vel breuis enarratio totius viſionis præcedentis,id eſt, maieſtatis diuinæ,vt Matth.17.2.

Verſ.17.

Tertia pars viſionis.

Quum autem vidiſſem] Tertium membrum viſionis vt ſuprà in verſ.9.dictum eſt, nempe, præcedentis viſionis interpretatio & repetitio. Sed interponitur primùm effectus viſionis, ſcilicet, quòd Apoſtolus conſternatus cecidit velut mortuus,initio verſ.17.deinde ſequitur repetitio & expoſitio viſionis ad finem capitis. Conſternationis duæ erant cauſæ,nempe conſcientia peccati,& immenſa gloria,quam mortalis dum in terris viuit,ferre non poteſt. Quoties igitur apparuit Patriarchis,Prophetis, aut alijs ſanctis viris Dei maieſtas, toties in faciem procidiſſe conſternatos legimus, Gen.17.3. Ioſuæ 6.2.& alibi. *Tum impoſuit*] conſternatum conſolatur, erigit,& confirmat,vt attentè audiat repetitionem & expoſitionem viſionis antecedentis.

Ego ſum primus] Quadrimembris expoſitio vel repetitio viſionis prioris: Primùm enim vocem ſuprà verſ.11.auditam repetit reliquo hoc verſu: deinde viſionem quam verſ.12. & ſequentibus quatuor verſiculis viderat,exponit verſ.18. Tertiò,Apoſtolus ſuprà verſ.11. vocatus ad hoc munus propheticum, denuo etiam confirmatur repetitione prioris mandati, verſ.19. Poſtremò myſterium candelabrorum quæ viderat ſuprà verſ.12.& ſtellarum, quas verſ.16.viderat,exponitur verſ.20.

Ego ſum primus] q.d. Ego ſum Deus omnipotẽs & æternus, qui te vocaui ad hoc munus. Similem loquutionem vide Eſaiæ 41.4. & 44.6.& 48.12. Hinc authoritas vocationis & doctrinæ ſequentis.

Verſ.18.

Et qui viuo] Secunda pars in expoſitione viſionis: cuius ſumma eſt, quaſi dicat, Ego quem ſuprà vidiſti ſimilem filio hominis verſ. 13. & tribus verſiculis ſequentibus, ſum Ieſus Chriſtus, qui te præcipuè dilexi, infrà cap.2.18. Huius expoſitionis duo ſunt membra: prius priori hemiſtichio, poſterius altera parte huius verſiculi. Prioris membri ſumma eſt, Ego quidem ſum ille, qui mortuus fui te præſente & vidente, Ioan.19.26,27. ſed ecce nunc morte ſuperata viuo in ſecula ſeculorum non amplius moriturus, Rom.9.6. *Amen.* Poſterius membrum his verbis continetur: & habeo claues inferorum & mortis: quaſi dicat, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Matth.28.18.

Verſ.19.

Scribe quæ vidiſti] Tertia pars in expoſitione, ſcilicet repetitio & declaratio & confirmatio mandati Apoſtolo prius verſ.11. dati. His autem verbis continetur ſumma & argumentum totius huius libri, vt dictum eſt ſuprà in verſ.1. Nempe quæ ſunt, id eſt, præſentis ſtatus eccleſiæ, prout tunc erat, deſcriptio ſub nomine ſeptem eccleſiarum Aſiaticarum, cap.2.&.3. Et quæ poſthæc ſunt futura, id eſt, eorum quæ futura ſunt in eccleſia prophetica prædictio, cap.4. & ſequentibus ad finem libri.

Verſ.20.

Myſterium ſeptem] Quartus locus in expoſitione, vbi candelabra dicit ſignificare eccleſias, nempe, alluſione ad candelabrum illud Tabernaculi ſeptem lucernis ſuis illuſtre, ex cuius ſcapo eminebant ſeptem luchnuchi, Exod.25.31. Quemadmodum enim candelabrum illud ſuſtentabat lucernas ad lucem præbendam in Tabernaculo: ita eccleſia στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, columna & ſtabilimentum veritatis, 1.Timoth.3.15. ſuſtinet verbum Dei, quod eſt lucerna pedibus noſtris, Pſal.119.105. vt lucem præbeat nobis in hoc tenebroſo errorum & ignorantiæ mundo verſantibus, 2.Pet.1.19. Eccleſia enim eſt ἐπίλυχνος lucerna, Chriſti baiulans lumen, vt olim dixit Irenæus lib.5. cap.17. vide Zechar.4.2. *Septem ſtellæ Angeli ſunt*] Id eſt, paſtores ſunt ſeu epiſcopi eccleſiarum. Nam prophetæ veteris teſtamenti, Eſaiæ.44.21. Hag.1.13. & ſacerdotes Malach.2.7. Eſaiæ 42.19. appellantur Angeli. Et in nouo teſtamento

mento Ioannes appellatur Angelus, Matth. 11. 10. item Apostoli Christi, Luc. 9. 52.

Cap. 2.

1 *ANgelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextra sua, qui ambulat inter septem candelabra aurea.*

2 *Noui opera tua, & laborem & tolerantiam tuam, & quòd non possis ferre malos: & exploraris eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & comperisti eos* esse *mendaces.*

3 *Et onere pressus fuisti, & sustines: & propter nomen meum laborasti, & non es defatigatus.*

4 *Sed habeo* aliquid *aduersum te, quòd charitatem tuam primam omiseris.*

5 *Memor esto itaque vnde excideris, & resipisce, & priora opera facito: sin minus, veniam aduersum te citò, & mouebo candelabrum tuum è loco suo, nisi resipueris.*

6 *Sed hoc habes, quòd odisti facta Nicolaitarũ, quæ & ego odi.*

7 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs, Victori dabo edere ex arbore vitæ quæ est in medio paradisi Dei.*

8 *Angelo verò Smyrnæorum Ecclesiæ scribe, Hæc dicit primus ille & vltimus, qui fuit mortuus & viuit.*

9 *Noui opera tua & afflictionem & paupertatem, (sed diues es) & blasphemiam eorum qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed synagoga Satanæ.*

10 *Nil metue eorum quæ passurus es, ecce, futurum est vt mittat diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt exploremini: & habebitis afflictionem dierum decem. esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

11 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs, Victor non lædetur à morte secunda.*

12 *Angelo verò Pergamensis Ecclesiæ scribe, Hæc dicit qui habet romphæam illam vtrinque acutam,*

13 *Noui opera tua, & vbi habites,* nempè *vbi thronus est Satanæ: &* quòd *teneas nomen meum, neque negasti fidem meam, etiam ijs diebus quibus Antipas martyr ille meus fidelis trucidatus est apud vos, vbi Satanas habitat.*

14 Sed

14 *Sed habeo aduersum te pauca, quòd habeas istic qui teneant doctrinam Balaam, qui docebat Balac obijcere offendiculum coràm filijs Israel, vt ederent ex ijs quæ simulachris immolantur, & scortarentur.*

15 *Ita habes etiam qui teneant doctrinam Nicolaitarum: quod odi.*

16 *Resipisce: sin minus, veniam aduersum te citò, & pugnabo cum illis gladio oris mei.*

17 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs, Victori dabo edere ex Manna illo abscondito: & dabo illi calculum album, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo nouit nisi qui accipit.*

18 *Angelo verò Thyatirensis Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis, & cuius pedes sunt similes chalcolibano.*

19 *Noui opera tua & charitatem, & subministrationem, & fidem, & tolerantiam tuam, & opera tua, & vltima plura prioribus.*

20 *Sed habeo aduersus te pauca, quòd permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetissam, docere & seducere seruos meos, vt scortentur, & edant ex ijs quæ simulachris immolantur.*

21 *Et dedi illi tempus vt resipisceret à scortatione sua: & non resipuit.*

22 *Ecce, ego abijciam eam in lectum: & eos qui adulterium committunt cum ea, in afflictionem maximam, nisi resipuerint ab operibus suis.*

23 *Et filios eius interficiam morte: sciéntque omnes Ecclesiæ me esse scrutatorem renum & cordium: & dabo vnicuique vestrûm secundum opera sua.*

24 *Vobis autem dico reliquis Thyatirensibus, Quicunque non tenetis doctrinam hanc, & qui non approbastis profunditates Satanæ, vt aiunt: non imponam vobis aliud onus.*

25 *Tamen id quod habetis, tenete quousque veniam.*

26 *Nam siquis vicerit, & custodierit ad finem vsque opera mea, dabo ei potestatem in Gentes.*

27 *Et reget eas virga ferrea: & tanquam vasa fictilia conterentur, sicut & ego accepi à Patre meo:*

28 *Et dabo ei stellam matutinam.*
29 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.*

ANNOTATIO.

Epistola prima.

Angelo Ephesinæ Ecclesiæ] Accepimus suprà cap.1.9.&c. visionem gloriæ Dei in Christo ad vocationem Ioannis & fidem descriptionis sequentis capitibus istis duobus: nunc ipsam præsentis status Ecclesiæ, vt tunc erat, descriptionem ingreditur, qua septem scribit epistolas ad septem illas Ecclesias in Asia, sicut illi imperatum fuit cap.1.11. Huius descriptionis partes sunt septem, puta septem epistolæ Ecclesijs septem scriptæ. In singulis autem epistolis hæc quatuor in vniuersum sunt obseruanda: primùm, mandatum scribendi Ioanni datum esse, & hæc verba, *Angelo Ecclesiæ scribe*, repeti, addito cuiusque Ecclesiæ nomine. Deinde, authorem epistolæ Iesum Christum eodem modo vbique ferè describi, quo Ioannes eum viderat cap.1.13,14,15,16. Tertiò, quanque epistolam cõnstare laude, vel vituperio, vel vtrisque. Postremò, epiphonema illud vers.7. singulas epistolas claudere.

Angelo Ecclesiæ Ephesinæ] Tacita distributio totius cœtus illius in Angelum, & reliquum Ecclesiæ corpus. *Qui tenet septem stellas*] Christus, de quo suprà, cap.1.16. *Qui ambulat*] Vide cap.1.13.

Vers.2.

Noui opera] Propositio duplex: vna laudis, vers.2,3. altera reprehensionis, vers.4. cui annectit exhortationem, vers.5. & solamen, vers.6. De Nicolaitis vide infrà vers.15.

Vers.7.

Qui habet aurem] Ephiphonema, vt in vers.1. dictum est. Vide Matth.13.9,43. Apoc.13.9. *Victori dabo*] Posterior hæc pars epiphonematicæ conclusionis, duo continet: primum, magnum fidelibus restare in hac vita certamen: secundum, æternam felicitatem, quæ metaphoricè & periphrasticè describitur esu arboris vitæ in medio cœlestis paradisi, vincentibus repositam. Vide infrà 22.14.

Vers.8.

Epistola secunda.

Angelo] Vide suprà in vers.1. *Hæc dicit Primus*] Author secundæ epistolæ descriptus ita vt se exhibuit Ioanni cap.1.11,17,18.

Verſ. 9, 10.

Noui opera] Epiſtola ſecunda conſtans laude, verſ. 9. & cohortatione verſ. 10. *Dierum decem*] q. d. Momentanea erit afflictio non annorum ſed dierum, quæ non diu durabit. Vel de tertia perſequutione Traiano authore excitata exponi poteſt, quæ circiter decem annos durauit.

Verſ. 11.

Qui habet] Vide ſuprà verſ. 7. *A morte ſecunda*] Id eſt, ab æterno exitio in inferno, Apoc. 20. 14. & 21. 8. Nam duplex eſt mors: prima, qua omnes mortui ſumus in Adamo: altera, qua reprobi in æternum cruciabuntur cum diabolo & angelis eius in gehenna. Qui autem partem habent in prima reſurrectione, & in Chriſto ac per Chriſtum liberantur à prima morte, Rom. 6. in eos ſecunda mors non habet poteſtatem, Apoc. 20. 6.

Verſ. 12.

Angelo] Vide ſuprà in verſ. 1. *Hæc dicit qui habet romphæam*] Deſcriptio authoris huius epiſtolæ, deſumpta ex cap. 1. 16. Tertia epiſtola.

Verſ. 13.

Noui opera] Tertiæ epiſtolæ partes ſunt tres: laus verſ. 13. reprehenſio verſ. 14, 15. & hortatio, adiuncta conditionali comminatione, verſ. 16. *Vbi thronus eſt Satanæ*] Id eſt, vbi Satanas habitat, vt eſt in fine verſus. 13.

Verſ. 15.

Doctrina Nicolaitarum] Nicolaus Antiochenus, vnus è ſeptem diaconis, Act. 6. 5. author fuit huius ſectæ, quæ promiſcuos concubitus, & idolothytorum eſum docuit.

Verſ. 17.

Ex Manna] Manna duplex: vnum viſibile & typicum, quo veſcebantur Iſraëlitæ in deſerto, Exod. 16. alterum verum in priori tanquam ſub figura abſconditum, de quo Chriſtus Ioan. 6. 32, 49.

Calculum album] Quadruplex fuit apud veteres calculorũ vſus: modò enim in comitijs honores conferebant calculis albis, denegabant nigris: aliàs in iudicijs ſententijſque ferendis reum albis lapillis abſoluebant, & condemnabant nigris: tertiò athletis maxima ludorum celebritate decertantibus & vincentibus præmij loco daretur

retur calculus: Denique Thraces solent calculos colore distinctos quotidie in vrnam condere prout quisque dies illis felix videretur aut infortunatus, ac supremo die separatos dinumerare, ac ita de felicitate vel infortunio suo pronũtiare, vt inquit Plinius histor. natur. lib. 7. cap 40. Ad quam istarum consuetudinum respexit hoc loco Christus parum interest, modo hoc teneamus, ipsum metaphorica ista locutione præmium promittere vincentibus hostes animarum nostrarum. Possumus autem intelligere Spiritum sanctum, qui est arrhabõ hæreditatis nostræ dum in terris peregrinamur, & id ipsum quod Spiritus sanctus in nobis obsignat, id est æternam vitam in » cœlesti regno postquam hinc discesserimus.

Nomen nouum] Vt Esaiæ 56. 5. & 64. 2. nempe internum sanctorum gaudium, & gustum virtutum cœlestium in hac vita, atque plenam fruitionem in futura. Vide infrà cap. 3. 10.

Vers. 18.

Epistola quarta.

Angelo] Vide suprà in vers. 1. *Hæc dicit*] Author huius & cæterarũ epistolarum alibi varijs modis descriptus tum cap. 1. 13. &c. & initio cuiusque epistolæ, hic palam dicitur Filius Dei. Vide suprà cap. 1. 14, 15.

Vers. 19.

Noui opera] Huius epistolæ quatuor sunt partes; laus hoc versiculo, vituperatio vers. 20. admonitio vers. 21. &c. & conclusio, vers. 26.

Vers. 20.

Iezabel] Ita vocat mulierem quandam, quæ ad exemplum sceleratæ coniugis Achabi (de qua 1. Reg. 19. & 21. & 2. Reg. 9. 30.) non modo fauebat idololatriæ, sed prophetias & reuelationes mentita partem quandam gregis Thyatirensis in nassam suam pertrahebat. Eadem ratione Ruffinus hist. ecclesi. lib. 2. cap. 15. Iustinam coniugem Valentiniani magni appellat Iezabelem, quia ipsa Ariana molestias exhibuit multis, præsertim Ambrosio.

Vers. 21, 22, 23.

Et dedi] Tertia pars epistolæ, vt in vers. 19. diximus, nempe admonitio duplex: vna, ad Angelum Ecclesiæ, tribus his versiculis, vt suprà in vers. 1. obseruauimus: altera, ad reliqua Ecclesiæ illius membra, quæ fictas reuelationes &

putidam doctrinam sceleratissimæ mulieris illius non amplectebantur, vers. 24.25.

Summa prioris admonitionis est, vt mulier ista excommunicetur. Quum autem in excommunicatione duo sunt notanda, nempe officium ipsius Ecclesiæ, & iudicia Dei in excommunicatos: prioris Angelum admonet, vers. 21. scilicet vt Iezabelem istam satis diu toleratam eijciat è societate Ecclesiæ. q.d. ego iam diu toleraui & impuras eius scortationes, vt inuitarem ad resipiscentiam, & vestram tarditatem, nunc igitur agite & eijcite eam: posterius se præstaturum pollicetur, vers. 22,23. scilicet, vt eam excommunicatam varijs & dignis modis flagellet iudicijs suis. Nam solebat aliquãdo Deus illis primis temporibus excõmunicatos ab Ecclesia & traditos Satanæ, manifesto aliquo iudicio grauiter vexare, vt de Stelliconis scriba ab Ambrosio excommunicato traditur, eum à malo spiritu vexatum fuisse. Idem de Anastasio dicitur dist. 19. cap. Anastasius. & de Ario omnium ferè scriptorum ecclesiasticorum testimonio confirmatur, ipsum intestina in forica egessisse. Montanus laqueo finiuit vitam.

Iudicia Dei in excommunicatos non semper cernuntur in hac vita, sed in futurum sæpe differuntur.

Vers. 24.25.

Vobis autem dico] Altera admonitio ad reliqua sana membra illius Ecclesiæ, quæ spurcissimâ pseudoprophetissæ doctrinâ non inficerentur. *Aliud onus*] q.d. etsi pseudoprophetissa ista nouas iactat reuelationes, & profundam doctrinam; tamen ego aliud onus, id est, aliam doctrinam vobis non imponam. Quod enim habetis scriptum in veteri & nouo testamento sufficit ad salutem, Ioan. 20. 31. & 2. Tim. 3. 16,17. hoc tenete.

Vers. 26,27,28.

Et denique qui vicerit] Conclusio, vt dictum est in vers. 19. *Potestatem in gentes*] Quatenus sumus corpus, cuius caput est Christus. Nam si militamus fortiter cum eo, simul regnabimus cum eo. Vide Psal. 149,6,7. Hoseæ. 6.5. Heb. 4.12. & 2. Cor. 10.4. Apoc. 19.15. *Stellam matutinam*] Quæ ita gloriam Dei (Apoc. 21.23. & 22.5.) antegreditur, vt stella Veneris quandoque solem exoriturum. Vide Apoc. 22.16. & 2. Pet. 1.19.

Vers. 29.

Qui habet] Epiphonema, vt in vers. 1. diximus.

Cap. 3.

1 *A*NGELO *autem Ecclesiæ quæ est Sardibus scribe, Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei & septem stellas, Noui opera tua,* nempè *quòd dicaris viuere, sed mortuus sis.*

2 *Esto vigilans, & confirma reliqua moribunda: non enim inueni opera tua plena coram Deo.*

3 *Memento igitur quæ acceperis & audieris: serua igitur & resipisce Quòd si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, neque intelliges qua hora veniam ad te.*

4 *Habes* tamen *aliquot capita etiam Sardibus quæ non inquinarunt vestimenta sua, ideòque incedent mecum albati: digni enim sunt.*

5 *Qui vicerit, amicietur vestimentis albis: neque delebo nomen eius ex libro vitæ, sed profitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.*

6 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.*

7 *Angelo verò Philadelphiensis Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Sanctus & verax ille, qui habet clauem Dauidis: qui aperit, & nemo claudit: & claudit, & nemo aperit:*

8 *Noui opera tua: ecce, proposui tibi ostium apertum, nec quisquam potest claudere illud: quia nonnullam habes virtutem, & obseruasti sermonem meum, neque abnegasti nomen meum:*

9 *Ecce, præbebo eos qui sunt ex synagoga Satanæ,* id est *eorum qui dicunt se Iudæos esse, nec sunt, sed mentiuntur: ecce* (inquam) *faciam, vt veniant & adorent ante pedes tuos, & sciant quòd ego dilexi te.*

10 *Quoniam obseruasti sermonem tolerantiæ meæ, ego quoque te liberabo ex tempore tentationis, quod venturum est in orbem vniuersum, ad explorandos incolas terræ.*

11 *Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

12 *Siquis vicerit, faciã vt sit columna in templo Dei mei, nec foràs egredietur amplius: & inscribam ei nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei,* id est *noua Hierusalem, quæ descendit è cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.*

13 *Qui habet aurem, audit quid Spiritus dicat Ecclesijs.*

14 *Angelo verò Laodicensium Ecclesiæ scribe, Hæc dicet Amen, testis ille fidelis & verax principium opificij Dei:*

15 *Noui*

15 *Noui opera tua,* nempè *te neq; frigidum esse, neque feruidum: vtinam frigidus esses aut feruidus.*

16 *Itaque quoniam tepidus es, nec frigidus nec feruidus, futurum est vt te euomam ex ore meo.*

17 *Nam dicis, Diues sum, & ditatus sum, & nullius egeo: Neque nosti te esse ærumnosum, & miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum.*

18 *Consulo tibi vt emas à me aurum igni exploratum, vt diues fias: & vestimenta alba, vt induaris, nec appareat dedecus nuditatis tuæ: & collyrio inungas oculos tuos, vt videas.*

19 *Ego quoscunque amo, arguo & castigo: Ferue igitur ac resipisce.*

20 *Ecce, sto ad ostium, & pulso: siquis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse quoque mecum.*

21 *Siquis vicerit, tribuam vt sedeat mecum in throno meo, vt & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno eius.*

22 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.*

Annotatio.

Angelo] Vide in cap. 2. 1. *Hæc dicit*] Descriptio authoris epistolæ accommodata causæ. Nam quum indormiebat Angelus Ecclesiæ, & mortua penè erat Ecclesia ipsa; Christus author epistolæ dicitur habere septem spiritus Dei, vt intermoriture Ecclesiæ vitam restituat: & septem stellas, vt torpescentem Angelum excitet ad munus sedulò & strenuè obeundum. Spiritus septem possumus intelligere vel Spiritum sanctum, quem Christus in Ecclesiam mittit Ioan. 15. 26. vel dona Spiritus sancti, quibus viuificantur mortui. De numero septenario diximus suprà in cap. 1. 4. & vbique ferè in ista Apocalypsi perfectionem denotat. Epistola quinta.

Noui opera] Partes huius epistolæ sunt quatuor: vituperatio reliquo hoc versiculo; exhortatio ad resipiscentiam vers. 2, 3. laus vers. 4. & conclusio vers. 5, 6.

Vers. 2, 3.

Esto vigilans] Exhortatio duplex: vna, priori hemistichio huius versiculi, cui adiuncta est ratio posteriori hemistichio: altera, initio vers. 3. cui adiungitur comminatio in fine vers. 3.

Verſ.4.

Habes] Tertia pars epiſtolæ, ſcilicet laus, cum adiuncto præmio. *Veſtimenta*] Id eſt, iuſtitiam Chriſti in baptiſmo indutam (Galat. 3.27.) malis operibus non inquinarunt.

Verſ.5.

Qui vicerit] Quarta pars epiſtolæ, vt in verſ.1. diximus. *Albis*] Dealbatis in ſanguine Agni, infrà cap.7.14. & ſuprà cap.1.5.

Verſ.6.

Qui habet] Epiphonema, vt in cap.2.1. dictum eſt.

Verſ.7.

Epiſtola ſexta.

Angelo] Vide in cap.2.1. *Hæc dicit*] Deſcriptio authoris epiſtolæ alludens ad cap.1.18. & Eſaiæ 22.22. Clauem Dauidis appellat collapſum illud Dauidis Tabernaculum, quod non ſolum erexit iuxta vaticinium Amos cap.9.11. & Act.15.16. ſed etiam pro bona ſua voluntate adminiſtrat & tuetur, videlicet ſpirituale regnum Chriſti in terris, quæ eſt Eccleſia & domus Dei viui. Habet igitur Chriſtus clauem Dauidis, id eſt, regni & domus Dei.

Verſ.8.

Noui opera] Hæc epiſtola tota in laude ponitur, quæ per tres verſiculos, 8, 9, 10. fuſa eſt. Conſtat autem tribus partibus: præmio verſ.8, 9, 10. exhortatione ad perſeuerantiam verſ.11. & concluſione verſ.12. Præmium laudatis operibus aſcriptum, triplex eſt: vnum præteritum verſ.8. alterum præſens verſ.9. tertium futurum verſ.10. *Oſtium apertum*] Id eſt, facultatem promouendi Euangelij, & Eccleſiæ ædificandæ, vt 1.Cor.16.9.

Verſ.9.

Ecce prebeo] Vide Eſaiæ cap.49.7, 23. & 60.14.

Verſ.10.

Ex tempore tentationis] Tertia perſequutione, quam excitauit Traianus anno Chriſti 110. & decimo tertio poſt Apocalypſin iſtam.

Verſ.12.

Qui vicerit] Concluſio vt diximus in verſ.8. *Columna*] Vt Galat.2.9. *In templo Dei mei*] Id eſt, in Eccleſia militante in hoc

mundo, & triumphante in cœlis. *Nomen Dei mei*] Id est, filius Dei vocabitur, Esaiæ 43.20.& 1.Ioan.3.1. *Nomen ciuitatis*] Id est, ascriptus erit ciuis cœlestis Hierusalem, vt Psal.87.5. *Nomen nouum*] Vt suprà cap.2.17.

Vers.14.

Angelo] Vide in cap.2.1. *Hæc dicit*] Descriptio authoris epistolæ partim ex cap.1.5,18. petita, & præsenti causæ accommodata. Septima epistola.

Vers.15.

Noui opera] Huius epistolæ partes sunt quatuor: prima, est vituperatio vers.15. cui adiungitur comminatio iudicij vers.16. secunda, est exhortatio ad resipiscentiam vers.17,18. tertia, ratio duarum antecedentium partium, nempe vituperij vers.19. & exhortationis vers.20. postrema, conclusio trita vers.21.

Vers.21.

In throno meo] Vide Ioan.14.3. & 17.21,22,24. Rom.8.17. Philip.3.21. Luc.22.30.

ANALYSIS. Cap.4.& 5.

- Visio secūda continet
  - 1. Cap. 4. descriptionem
    - 1. Maiestatis diuinę, cuius
      - 1. Propositio summa bimembris est vers.2. vidit enim Ioannes
        - 1. Thronum.
        - 2. Quendam insidentem throno.
      - 2. Expositio vtriusque membri per hysterosim
        - 1. Insidentis throno vers.3.
        - 2. Throni
          - 1. Thronum circundant
            - Iris vers.3.
            - 24. Seniores vers.4.
          - 2. Ex throno procedunt fulgura &c. vers.5.
          - 3. Ante thronum sunt
            - Lucernę septem vers.5.
            - Mare vitreum vers.6.
          - 4 In medio throno & vndique sunt quatuor animalia vers.6.
    - 2. Angelorum ministrātium & stipantium, nempe
      - 1. Quatuor animalium quorum
        - 1. Forma vers.7,8.
        - 2. Facta, honorem tribuunt insidenti throno vers.8,9.
      - 2. Seniorum viginti quatuor, qui
        - 1. Procidentes adorant, vers.10.
        - 2 Coronas abjiciunt, vers.10.
        - 3. Laudem tribuunt Deo, vers.10,11.
  - 2. Cap.5. modū reuelationis, quo Deus cōsilium suum patefacit ecclesiæ. Sunt autem hîc duo loci,
    - 1. Prior rē ordine narrat quinque distinctis modis,
      - 1. Insidens throno (id est, Deus) librum signatum tenet in dextra, vers.1.
      - 2. Angelus citat omnes creaturas ad librum legendum, vers.2.
      - 3. Nulla creatura potest legere librū, vers.3.
      - 4. Ioannes lachrymat, quia nemo potest librum legere, vers.4.
      - 5. Leo ex tribu Iudæ, Agnus mactatus legit librum, vers.5,6,7.
    - 2. Posterior continet triplicem hymnum celebrantium Agnum, nempe
      - 1. Quatuor Animalium, & viginti quatuor Seniorum vers.8,9,10.
      - 2. Infinitorum Angelorum, vers.11,12.
      - 3. Omnium creaturarum, vers.13. hîc subiungitur conclusio, vers.14.

Cap. 4.

1 *Post hæc vidi, & ecce, ostium apertum in cœlo: & vox prima quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicebat, Ascende huc, & ostendam tibi quæ oporteat fieri posteà.*

2 *Statim igitur fui correptus à spiritu: & ecce, thronus positus erat in cœlo: &* quidam *throno insidebat.*

3 *Is qui sedebat, aspectu similis erat lapidi iaspidi & sardio: & in circuitu throni erat iris aspectu similis smaragdo.*

4 *Et in circuitu sedis, sedilia vigintiquatuor: & super sedilia vidi vigintiquatuor seniores sedentes, amictos vestibus albis: & habentes super capita sua coronas aureas.*

5 *Prodibant autem è throno fulgura & tonitrua & voces: & septem lampades igneæ ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei.*

6 *Erat etiam ante thronum mare vitreum simile crystallo: & inter thronum, & in circuitu throni, quatuor animalia plena oculis antè & retrò.*

7 *Animal autem primum erat simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem velut homo, & quartum animal simile aquilæ volanti.*

8 *Et quatuor animalia singula per se habebant alas senas in circuitu, & intus plena erant oculis, die ac nocte sine intermissione dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, Erat, & Est, & Venturus est.*

9 *Et quum tribuebant illa animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem ei qui throno insidebat, illi,* inquam, *viuenti in secula seculorum.*

10 *Procidebant vigintiquatuor Seniores ante illum insidentem throno, & adorabant illum viuentem in secula seculorum, & abijciebant coronas suas ante thronum, dicentes,*

11 *Dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.*

Annotatio.

Postea aspexi] Hactenus de prima visione, & de præsente statu Ecclesiæ, vt suprà in cap. 1. 1. dictum est: sequitur visio secunda, & futuri

Distributio prophetiæ sequentis.

futuri statusEcclesiæ prophetia duplex: vna de Ecclesia in terris militante vsque ad cap.21. altera de Ecclesia triumphante in cœlis duobus posttemis capitibus. Sed antequam ad istarum partium subdiuisiones veniamus, exponenda est visio hæc secunda capitibus duobus quarto & quinto comprehensa, qua propheta & Apostolus noster Ioannes ad hoc munus vocatur, & fides sequentium prophetiarum confirmatur. Duorum istorum capitum partes sunt omnino duæ: prima continet summam visionis cap.4.secunda exponit modum reuelationis sequentium prophetiarum cap.5. Visio cõstat descriptione duplici: vna gloriæ & maiestatis Dei vers.2. & sequentibus ad vers.7.altera Angelorum ministrantium inde ad finem vsque capitis. Atque hæc generatim dicta sunto,nunc verba & contextum expendamus.

Postea aspexi] Primus hic versus continet manifestam transitionem à præcedẽte descriptione ad prophetiam futurorum. *Ostium apertum*] Vide Act.7.56.

Vers.2.

Statim igitur] Id est, comparatus fuit ad suscipiendum oraculum,vt cap.1.10.Ezech.1.3.& 2.2.

Visio maiestatis diuinæ.

Et ecce thronus] Visio ipsa,vt suprà paulùm diximus,cuius summa propositio reliquo hoc versu continetur,expositio autem vers.3. Propositio bimembris est, vidit enim Ioannes inprimis thronum in cœlo positum, deinde quendam throno insidentem. Quemadmodum Moses Exod.24.10. Esaias cap.6. Michea 1.Reg.22.19. Ezechiel cap.1.& 8. Daniel cap.7.& 10.viderunt Deum gloriæ regum terrenorum more solio sublimi insidentem tanta cum maiestate,quantam humana imbecillitas ferre potuit: eodem modo hîc adumbratur maiestas diuina,vt infrà patet vers.8,9,10.

Vers.3.

Expositio visionis.

Is autem qui] Expositio vtriusque membri in propositione antecedente,ac primùm eius qui insidebat throno, priori hemistichio huius versiculi; deinde throni, posteriori hemistichio & tribus versiculis sequentibus. Qui throno insidet, id est,Dominus Deus ille omnipotens infrà vers.8.&c. & cap.7.10. dicitur similis esse lapidi iaspidi & sardio, id est, gloriosissimus. De gemmis vide Plinium lib.37.

Et in circuitu] Thronum quatuor modis describit: primò, cum circundant iris vers. 3. & Seniores viginti quatuor super totidem sedilia sedentes vers. 4. secundò, ex throno procedunt fulgura & tonitrua & voces priore parte vers. 5. tertiò, ante thronum sunt septem lampades igneæ ardentes posteriore parte vers. 5. & mare vitreum priore hemistichio vers. 6. quartò, infra & intus thronum sunt quatuor animalia, posteriore hemistichio vers. 6. Descriptio throni.

Iris] Quæ ornatus causâ circundat thronum, vt augustior appareat diuina maiestas.

Viginti quatuor Seniores] Id est, angelorum quidam ordo. Nam ordines quosdam esse Angelorum bonorum, & varios gradus, non quidē naturâ & creatione, sed ratione ministerij & officij, ad quod mittuntur & adhibentur à Deo, ex multis sacræ scripturæ locis colligimus. Luc. 2. 9. Angelus Domini apparuit pastoribus, & vers. 13. repentè adfuit cum Angelo multitudo exercituum cœlestium. Item Coloss. 1. 16. sunt throni, dominia, imperia, potestates. Est etiam Archangelus 1. Thess. 4. 16. Varia sunt autem Angelorum ministeria: Quandoque enim sustinent trahuntue currus Domini, & dicuntur quatuor animalia Ezech. 1. & 3. & 8. & 10. & hoc capite infrà, vers. 6. Aliquando mittuntur ad perambulandum terram, & sunt equites Zach. 1. 8, 10. Aliquando tanquam satellites regij vel Consiliarij maiestatem diuinam circundant, vt augustiùs illam nobis repræsentent, & dicuntur Cherubim & Seraphim, vt Esaiæ 6. aut Seniores vt hoc in loco. Quòd autem istos viginti quatuor Seniores dico Angelos esse, non ratione caret, vt mihi videtur. Nam homines viui vel mortui, militantes in terris vel triumphantes in cœlis esse nequeunt, quia nusquam horum comitatu stipata decoris venerationisque causâ sese videndam exhibet maiestas diuina. His itaque bonorum omnium pace dimissis, sic statuo; quæ hoc libro reuelantur omnia, ea Christum Angelorum (non hominum viuorum aut mortuorum) ministerio seruo suo Ioanni significare, vt suprà vidimus cap. 1. vers. 1. At ex istis viginti quatuor Senioribus vnus mysterium patefacit Ioanni infrà cap. 5. 5. & alter cap. 7. vers. 13, 14. Sunt igitur Angeli. Quod attinet ad reliquam istorum 24. Seniorum descriptionem, intelligendum est, visiones in vniuersum omnes hic & vbique ad rerum suarum argumenta accommodari debere. *Vestibus albis*] Id est, splendidissimis, quales à regibus ferebantur. Sic enim Angeli apparent amicti Matth. 28. 3. Ioan. 20. 12. Act. 1. 10. *Coronas*]

Seniores 24. sunt angeli.

Ordinis angelorum.

Ministeria angelorum.

nas] Quibus significatur consiliarios Dei esse reges maiestatis perornandæ gratiâ. Sic gloriatur Assyrius principes suos esse reges, Esaiæ 10.8.

Vers.5.

Fulgura] Angeli alij fulgura, & tonitrua, & voces proferebant, vt in lege ferenda Exod.19.16. & infrà sæpè, præcipuè cap.19.5,6. Et cap.10.3,4. dicuntur esse septem tonitrua. vide cap.6.1.

Lampades significant Spiritum sanctum.

Lampades] Sunt typi figurantes Spiritum sanctum, vt verba sequentia interpretantur. Porrò Ioannes post acceptam hanc visionē, in communi salutatione, quam præmisit suprà cap. 1.4. gratiam precatur & pacem à septem istis Spiritibus, quo indicat Spiritum sanctum his lampadibus repræsentari, quia gratiam nisi à Deo non licet precari. Sicut igitur Spiritus sanctus figuratus fuit specie columbæ Matth.3.16.& dispartitarum linguarum Act.2.3.ita hic septem lampadibus adumbratur. Et vt Agnus dicitur lucerna Apoc. 21.23. ita hîc lampades sunt Spiritus sanctus, quia vt Tabernaculum septem Exod.25.31,37.& Templum decem lucernis collucebat 1.Reg.7.49. ita Spiritus sanctus inhabitans in electis vt in proprio templo seu tabernaculo 1.Cor.3.16.& 2.Tim.1.14.eos illuminat vera cognitione Dei, & motus sanctos accendit in eis. Itaque Paulus monet Thessalonicenses, ne Spiritum extinguant 1.Thess.5. 19. & Timotheum, vt donum Dei quod in se est, reardescere faciat 2.Tim.1.6. Et Lucas ait, Considera ergo num lumen quod in te est, tenebræ sint Luc.11.35.

Vers.6.

Mare vitreum] Id est, pauimentum pedibus diuinæ maiestatis substratum, simile erat mari vitreo, quasi ipse in mari vt in pauimēto incederet. Eodem fere modo apparuit Mosi Exod.24.10.

Quatuor animalia sunt angeli.

Quatuor animalia] Sunt Angeli sustinentes thronum, & trahentes currum Dei, vt ex Ezechielis capite primo & decimo liquet manifestò. Ibi etiam dicuntur Cherubim cap.10.15. Deus autem insidens Cherubinis volat Psal.18.11. Et curruum Dei duæ sunt myriades, multa millia Angelorum Psal.68.18. Infrà quoque cap.6.1,3, 5,7. & cap.15.7. horum ministerio vtitur Deus in patefacienda prophetia ista, ex quo constat Angelos esse, vt suprà in vers.4. obseruauimus.

Inter thronum & quæ thronum ambiebant] Id est, sicut duodecim

cùm ænei boues fusum lacum sibi impositũ sustinebant 1.Reg.7.25. ita hæc quatuor animalia thronum Dei sustinent, posterioribus eorũ intus, intra thronum sed sub throno latentibus; prioribus, nempe capitibus, ceruicibus, pectoribus foras vndique & omni ex parte prominentibus.

Angeli sustinent thronum Dei.

Plena oculis] Vt Ezech.1.6. vnumquodque horum animalium quaternos habet vultus, quibus figuratur omnimoda aptitudo ad iussa Dei nullo negotio capessenda in omnes partes: ita hoc loco sunt oculis plena vndique, quibus significatur etiam omnimoda aptitudo & promptitudo ad omnes mundi partes videndas & obeundas vt eundo opus non habeant conuertere vultus, in quo esset mora. Nam sine mora, sine conuersione voluntatem Dei expeditè faciunt. Omnia sunt eis anteriora & ante oculos posita quocunque eant, nulla ponè aut à tergo relicta.

Vers.7.

Animal autem] Hactenus descripta est maiestas diuina, sequitur Angelorum istorum, nempe viginti quatuor Seniorum, & quatuor animalium descriptio, vt suprà in vers.1. diximus: ac primum quatuor animalium tribus versibus, deinde Seniorum 24. duobus vltimis versibus. Animalia describuntur partim ex forma vers.7. & priori parte vers.8. partim ex factis posteriore parte vers.8. & vers.9. Atque inprimis quatuor similitudinibus exponitur eorum forma isto versu, tum ex partibus duabus, alis & oculis, initio vers.8.

Descriptio angelorum.

Animal autem primum erat simile leoni] Primum assimilatur leoni, propter fortitudinem & potentiam: secundum vitulo, propter ministerium seruile & laborem indefessum: tertium homini, propter prudentiam: quartum aquilæ, propter pernicitatem in officio exequendo. Sed & hoc quoque intelligendum est, non vnum tantùm ex animalibus simile esse leoni, alterum homini, tertium vitulo, postremum aquilæ, sed vnumquodque ex istis quatuor animalibus quatuor istis qualitatibus præditum esse, & de singulis intelligi debere, quod de omnibus dicitur, nempe in singulis summam esse potentiam, diligentiam, sapientiam, & celeritatem exequendi mandata omnipotentis Dei.

Angelorum qualitates.

Vers.8.

Alas senas] Quarum binis tegebant faciem suam, & binis tege-

Angeli alati.

bant pedes suos, ac binis volabant, vt inquit Esaias cap.6. vers.2. Binis tegebant faciem suam, quia ne Angeli quidem immensum fulgorem maiestatis Dei valent intueri. Binis tegebant pedes suos, vel corpora sua, vt inquit Ezechiel cap.1.vers.11.& 23.propter Ioannis iam tum intentis oculis ad eos sursum versus aspicientis, infirmitatem. Nam sicut facies Mosis ex præsentia maiestatis per dies quadraginta adeo splendebat vt Israëlitæ non potuerint aspectum eius ferre, sed velamen faciei suæ imponere necesse habuit, quando loquebatur cum eis, Exod.34.29. ita Angeli, qui perpetuâ præsentiâ maiestatis diuinæ fruuntur, refulgent, vt eos intueri non valeat hebes oculorum nostrorum acies, quæ à splendore solis vincitur sæpè.

Plena erant oculis] Id est, nihil temerè faciunt, ne alas quidem mouent nisi motu considerato. non modo enim aptitudo ad omnia mandata Dei exequenda inest Angelis, vt suprà in vers.6.obseruatum est, sed etiam motu composito agunt quicquid agunt.

Sanctus, sanctus, sanctus] Factum Angelorum, vt in vers.7. dictû est, quo enarrant totam præcedentem visionem. q. d. hoc totum quod exhibitum fuit, nihil aliud est, quàm gloria & maiestas omnipotentis Dei, vndique stipata Angelis laudem eius iugiter buccinantibus.

Vers.10,11.

Et quum tribuebant] Quod fecerint quatuor animalia vers.8,9. id faciunt viginti quatuor Seniores. Primùm procidentes adorant insidentẽ throno: deinde abijciunt coronas ante thronum vers.10. tertiò gloriam Deo tribuunt: postremò rationem reddunt vers.11.

Cap. 5.

1 *DEinde vidi ad dexteram eius qui insidebat throno, librum scriptum intus & à tergo, obsignatum sigillis septem.*

2 *Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, Quis est dignus qui aperiat librum, & soluat eius sigilla?*

3 *Nemo autem poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subter terram, aperire librum, neque eum inspicere.*

4 *Flebam igitur ego multùm, quòd nemo dignus inuentus esset qui aperiret & legeret librum, nec qui eum inspiceret.*

5 *Tum vnus ex senioribus dicit mihi, Ne fleto: ecce, vicit Leo ille*

ex tribu Iuda, ſtirps Dauidis, vt aperiat librum, & ſoluat ſeptem eius ſigilla.

6 *Aſpexi igitur, & ecce inter thronum & quatuor animalia, & inter ſeniores illos, Agnus ſtans tanquam mactatus, habens cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram.*

7 *Is venit & accepit librum ex dextra eius qui throno inſidet.*

8 *Quúmque accepiſſet librum, quatuor illa animalia, & vigintiquatuor illi ſeniores prociderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas, plenas ſuffituum, quæ ſunt preces ſanctorum.*

9 *Et cecinerunt canticum nouum, dicentes, Dignus es qui accipias librum, & aperias eius ſigilla: quoniam mactatus es, & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

10 *Et feciſti nos Deo noſtro reges & ſacerdotes: & regnabimus ſuper terram.*

11 *Tum aſpexi, & audiui in circuitu throni & animalium & ſeniorum, vocem Angelorum multorum, numero millies centena millia, & centena millia:*

12 *Dicentes voce magna, Dignus eſt Agnus, ille mactatus qui accipiat virtutem, & diuitias, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem:*

13 *Sed & omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & quæ ſuper terram, & ſub terra, & in mari, & quæ in eis ſunt omnia, audiui dicentia, Seſſori throni & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur, in ſecula ſeculorum.*

14 *Quatuor autem animalia dicebant, Amen. & vigintiquatuor ſeniores prociderunt in facies ſuas, & adorarunt eum qui viuit in ſecula ſeculorum.*

Annotatio.

Deinde vidi] Secunda pars huius ſecundæ viſionis, vt in cap.4.1. dictum eſt. q. d. primò vidi thronum in cœlo poſitum cap.4.2. ſecundò vidi ad dextram vel in dextra (verſ.7.) eius qui inſidebat throno librum, &c. Continet autem modum quo myſteria Dei reuelantur Eccleſiæ, nempe per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt in ſinu Patris Ioan.1.18. & quæcunque audiuit à Patre reuelat nobis Ioan.15.15. Huius ſecundæ partis loci ſunt in vniuerſum

Prophetia ſequens reuelatur per Chriſtum.

ſum

ſum duo: prior rem ordine narrat, prout geſta erat, quinque diſtinctis modis: primò enim qui throno inſidet, id eſt, Deus, librum ſignatum tenet in dextra verſ.1. ſecundò, Angelus quidam citat omnes creaturas ad lectionem libri verſ.2. tertiò, nulla creatura poteſt legere librum verſ.3. quartò, Ioannes vbertim lachrymat quia nemo poteſt librum legere verſ.4. quintò, Leo ille ex tribu Iudæ, Stirps illa Dauidis, nempe Agnus mactatus librum accipit vt deinceps aperiat ac legat verſ.5,6,7. Poſterior locus continet triplicem hymnum celebrantium Agnum illum; ac primùm duorum ordinum Angelorum nempe quatuor Animalium, & viginti quatuor Seniorum verſ.8,9,10. Deinde infinitorum Angelorum verſ.11,12. Denique omnium creaturarum verſ.13.

Librum] Qui continet argumentum ſequentium prophetiarum vſque ad cap.12. vt deinceps dicetur initio cap.6. aperitur autem & exponitur cap.6. & ſequētibus, vide Ezech.2.9. & infrà cap.10.9,10.

Verſ.5.

Tum vnus ex Senioribus] Hinc patet Seniores iſtos viginti quatuor ordinem aliquē Angelorum repræſentare, vt ſuprà in cap.4.4. dictum eſt. Nam Ioannes Apoſtolus tantopere dilectus paratior erat ad docendum quàm ad diſcendum, ſi conferatur cum hominibus viuis aut mortuis. Erat enim Apoſtolus. Mortuorum ſanctorum operâ ſeruos ſuos in terris militantes non inſtituit Dominus de ſua voluntate. Apparentes Moſes & Elias Matth.17.3. cum Chriſto quidem colloquuntur, ſed quid dixerunt ſanctè neſcitur. Petro, Ioanni, aut Iacobo ne Gry dixerunt. Teſtimonia fortaſſis erant reſurrectionis, quia Moſes olim mortuus adhuc viuit. Petenti diuiti Luc. 16.27. vt mortui mitterentur domum patris ſui, qui fratres monerent, non annuit Dominus, ſed eos ablegauit ad verbum Dei ſcriptum. Angelorum autem miniſterio voluntatem ſuam patefecit ſæpè Deus tum prophetis Dan.7.9. & 8.16. & 9.21. & alibi. tum Apoſtolis Act.1.9,10. & 10.13. & 27.23.

Leo] Ieſus Chriſtus, Gen.49.9. &c. *Stirps Dauidis*] Eſaiæ 11.1.

Verſ.6.

Agnus] vide Ioan.1.29. *Cornua ſeptem*] Id eſt, plenam poteſtatem, & abſolutum imperium, quod cornibus ſępè figuratur in ſcriptura. Habak.3.4. *Oculos ſeptem*] Tribus modis hic locus poteſt exponi:

poni: primùm de Spiritu ſancto, vt verba ſequentia videntur innuere: Tum de infinita prouidentia Christi, vt Zach. 3. 9. & 4. 10. postremò de Angelis miniſtrantibus Chriſto, vt Zachar. 1. 10, 11. Pſal. 97. 7. Heb. 1. 6. Hæc poſtrema interpretatio mihi præ cæteris placet.

Verſ. 8.

Habentes citharas & phialas] Suprà in cap. 4. verſ. 4. & 6. oſtendimus viginti quatuor Seniores & quatuor Animalia repræſentare ordines quoſdam Angelorum. Hîc verò ceremonijs legis Moſaicæ figuratur cultus ille quem Deo exhibent. q.d. vidi Angelos illos paratos ad laudandum Deum. Hæc enim omnia exhibita fuerunt Ioanni in viſione. Quemadmodum igitur Deus non habet certum thronum in aliquo cœli angulo poſitum, nec in certo aliquo loco ſedere poteſt, qui omnia implet, ſed hoc modo ad captum noſtrum adumbratur diuina maieſtas ex parte: ita & de Angelis dicendum eſt; non ſedent ſuper ſedilia, non habent oculos, nec alas, non ora, non citharas, non phialas denique, neque ſunt ex aliqua tribu (verſ. 9.) ſed hæc omnia figuratè dicuntur, vt hoc modo nos hebetes & inepti ad percipiendas res cœleſtes & inuiſibiles, informemur de potentia, prouidentia, & bonitate Dei, item de miniſterijs Angelorum. Angeli Deum colunt.

Verſ. 9.

Redemiſti nos] Id eſt, corpus illud eccleſiæ, cuius nos ſumus membra, infrà, cap. 12. 10. & 19. 10. & 22. 9. & Heb. 12. 22. Ita loquitur Chriſtus Matth. 24. 9. Tunc tradent vos, id eſt, fratres & conſeruos veſtros, & verſ. 23. Si quis dixerit vobis, id eſt, conſeruis & fratribus veſtris, & verſ. 33. ita & vos, id eſt, fratres & conſerui veſtri. Multis enim ſeculis mortui ſunt Apoſtoli & ſepulti antequam implerentur prophetiæ illæ quas dixi, & de quibus concionatur Chriſtus Matth. 24. 9. &c. Porro aliter loquuntur infrà cap. 11. verſ. 18. *Et des premium ſeruis tuis Prophetis, &c.*

Cap. 6.

Prophetia futuri status Ecclesiæ
- 1. Militãtis: estque duplex
  - 1. Prior continet prædictionem rerum futurarum in Ecclesia quatuor distinctis temporibus,
    - 1. à prima euangelij promulgatione ad Constantinum Magnum cap.6.ad vers.12.
    - 2. à Constantino Magno ad instaurationẽ euangelij cap.6. vers.12. &c. ad cap.10.
    - 3. Ab instauratione euangelij ad finem seculi cap. 10. &c. ad cap.11. vers.14.
    - 4. In fine seculi cap.11.vers.15. &c. ad finem capitis.
  - 2. Posterior cap.12.
- 2. Triumphantis cap.21. & 22.

Analysis. Cap.6.

Cap.6. continet res gestas per annos trecentos
- 1. Promulgationem Euangelij per orbem terrarum hostibus invitis, sigillo primo, vers.1,2.
- 2. Tria genera calamitatum
  - 1. Gladium, sigillo secundo, vers.3,4.
  - 2. Famem, sigillo tertio, vers.5 6.
  - 3. Pestem, sigillo quarto, vers.7,8.
- 3. Salutem martyrum Iesu Chiristi sigillo quinto, vers.9,10,11.
- 4. Pœnam improborum
  - 1. Persequutorum, sexto sigillo, vers.12.
  - 2. Incredulorum, sigillo septimo, cap.8.1.
  - ab his liberãtur electi, cap.7.

Cap. 6.

1 POsteà aspexi, quum aperuisset Agnus primum ex sigillis, & au-
diui vnum ex quatuor animalibus dicens, tanquam vocem to-
nitrui, Veni & vide.

2 Aspexi igitur, & ecce, aderat equus albus: & qui insidebat ei
habebat arcum, & data est ei corona, & prodijt vincens, & vt vin-
ceret.

3 Quumq; aperuisset sigillum secundum, audiui secundum ani-
mal dicens, Veni, & vide.

4 Et prodijt alius equus rufus: & ei qui insidebat super eum, da-
tum est vt tollat pacem è terra, vt alij alios mactent: datúsque est ei
gladius magnus.

5 Et quum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal
dicens, Veni, & vide. Aspexi igitur, & ecce, equus niger aderat: &
qui insidebat ei, habebat stateram in manu sua.

6 Et audiui vocem in medio quatuor animalium dicentem, Chœ-
nix tritici denario, & tres chœnices hordei denario: & vinum &
oleum ne læseris.

7 Quumq; aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti ani-
malis dicentem, Veni & vide.

8 Tum aspexi, & ecce aderat equus pallidus, & eius qui insidebat
ei, nomen erat Mors: & infernus sequebatur eum, datáque est ei in
quadrantem terræ potestas trucidandi gladio, & famo, & morte, pér-
que terrestres feras.

9 Quum verò aperuisset sigillum quintum, vidi sub altari animas
eorum qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter testimo-
nium quod tuebantur.

10 Clamabant autem voce magna, dicentes, Vsquéquo Domine,
qui sanctus es & verax, non iudicas ac vindicas sanguinem nostrum
de ijs qui habitant in terra?

11 Tum datæ sunt singulis stolæ albæ, & dictum est eis vt requies-
cerent adhuc paululum temporis, vsquéquo compleantur etiam con-
serui eorum & fratres eorum, qui trucidandi sunt sicut & ipsi.

12 Deinde aspexi quum aperuisset sigillum sextum, & ecce ter-
ræmotus magnus factus est: & sol factus est niger vt saccus cilicinus,
& luna tota facta est vt sanguis:

13 *Et stellæ cœli ceciderunt in terram, sicut ficus abijcit grossos suos quum vento magno concutitur.*

14 *Et cœlum abscessit sicut liber qui conuoluitur: & omnes montes & insulæ è suis locis motæ sunt:*

15 *Et reges terræ, proceres, & diuites, & tribuni, & potentes, omnésque tum serui tum ingenui absconderunt se in speluncis & in petris montium:*

16 *Et dixerunt montibus & petris, Cadite super nos, abscondite nos à conspectu eius qui insidet throno, & ab ira Agni:*

17 *Nam venit dies ille magnus iræ illius: & quis poterit stare?*

Annotatio.

Distributio totius prophetiæ sequentis.

Exposita visione secunda duobus proximis capitibus quarto & quinto; succedit futuri status Ecclesiæ prophetica reuelatio, quam initio capitis quarti duplicem esse diximus: vnam de Ecclesia in hoc malo mundo militante sub cruce vexilloque Christi vsque ad cap.21. alteram de triumphante in cœlis Ecclesia duobus postremis capitibus. Priorem prophetiam de militante Ecclesia bis sub diuersis figuris expositam atque præmonstratam habemus. Primò ab hoc loco vsque ad cap. 12. secundò eadem sed diuerso modo repetitur cap. 12. & sequentibus ad cap. 21. Neque insolens est rem eandem sæpiùs in scriptura sacra iterari. Esaias & Babylonis ruinam prædicit cap. 13. & eandem postea bis repetit, nempe cap. 21. & cap. 47. Visio Danieli oblata cap. 7. iteratur bis in reliqua prophetia, scilicet cap. 8. & cap. 11. Hæc ipsa prophetia futuri status Ecclesiæ militantis bis exponitur à Christo Matth. 24. primùm à versu quarto incipiente ad vers. 15. deinde nouo sumpto exordio vers. 15. & sequentibus ad vers. 32. Quare mirum videri non debet, quòd eandem prophetiam bis expositam dico. Atque hanc genuinam esse huius prophetiæ distributionem animaduersuros esse cõfido omnes qui penitus in rem introspexerint. Primam autem prophetiam istis sex capitibus comprehensam in quatuor video tempora distinctam. Primùm enim res futuras in Ecclesia & propter Ecclesiam à Christo ad Constantinum magnum prædicit quinque primis sigillis reseratis cap. 6. Secundò, à Constantino magno vsque ad restaurationem Ecclesiæ superioribus his annis factam per Wiclefum, Hussium, Lutherum & cæteras Ecclesiæ lucernas sigillo sexto cap. 6. vers. 12. &c. Tertiò, à restituto orbi Euangelio ad finem seculi cap.

Prior prophetia in quatuor tẽpora distribuitur.

10.

10.& tredecim primis verſiculis cap.11. Quartò, finis huius mundi tuba ſeptima cap.11.verſ.15. & ſequentibus quatuor ad finem illius capitis. Atque hæc eſt propheticæ huius reuelationis periocha. Nunc ſingula quo ſunt propoſita ordine videamus.

Verſ.1.

Poſtea aſpexi] Huius capitis partes, ſi rem ipſam ſpectas, ſunt quatuor: prima eſt promulgatio Euangelij verſ.1,2. Secunda eſt de calamitatibus ſequentibus inde ad verſ.9. Tertia de ſalute martyrum verſ.9,10,11. Quarta de pœna hoſtium Eccleſiæ verſ.12. & ſequentibus ad finem capitis. Quòd ſi temporis habeatur ratio, tria tempora cōtinet hoc caput: primum promulgationis Euangelij verſ.1.2. Secundum rerum gerendarum à prima illa & glorioſiſſima prædicatione Euangelij vſque ad Conſtantini magni tempora, quando Deus eodem ferè momento vltus eſt cædes martyrum, & pacem conceſſit Eccleſiæ verſ.3.& ſequentibus ad verſ.12. Tertium iudiciorum Dei in hoſtes Eccleſiæ diebus Conſtantini verſ.12.&c. Diſtributio huius capitis.

Vnum ex quatuor illis animalibus] Vide ſuprà quæ diximus in cap.4.6.

Verſ.2.

Equus albus, & qui inſidebat ei] Eques iſte eſt Ieſus Chriſtus miniſterio Euangelij per totum orbem terrarum equitans, vincens, & euertens omnem ſublimitatem quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducens omnem cogitationem ad obediendū ſibi. Hanc interpretationem nobis ſuppeditatur infrà cap.19. verſ. 11,12,13. Equo ruſo inſidet Chriſtus Zach.1.8. Initium prædicationis Euangelij factum eſt à Ioanne Baptiſta, à Chriſto & Apoſtolis eius. Tum poſt reſurrectionem Chriſtus Apoſtolos amandauit in vniuerſum mundum Marc.16.15. Act.1.8. Quàm ſtrenuè operam nauarunt Apoſtoli, & quàm potenter operatus eſt Chriſtus miniſterio illorum, conſtat.Rom.10 18.Coloſſ.1.6,23.& Lucas oſtendit in Actis Apoſtolorum. Quàm longè latéque ſpargeretur Euangelium ſcribit Euſebius per totum librum ſecundum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & capite primo libri tertij, & illum ſequutus Nicephorus libro toto ſecundo & lib.3.cap.1. item Hieronymus in Catalogo. Hoc obſeruandum eſt, initium tantum promulgationis Euangelij deſignari, cuius nullus erit finis ante conſummationem ſeculi. Primum tempus, ſcilicet prædicationis euangelij.

Vers.3.

Secundum tempus, afflictionis nempe.

Secundum tempus, vt in vers.1. dictum est, quo paucis significantur res gestæ in Ecclesia & propter Ecclesiam à prima illa publicatione Euangelij ad Constantinum magnum Matth.24.7. Rerum istarum duo summa sunt capita, naturâ non tempore inter se distincta: vnum calamitatum cõmunium tum probis tum improbis sex versiculis: alterum salutis electorum, qui etsi in mundo affligerentur miserrimiq; viderentur toto illo calamitatis tempore, postquam tamen ex hoc mundo migrauerint beati esse cœlesti voce prædicantur vers.9,10,11. Calamitatum illarum tria hic notantur genera, naturâ non tempore differentia, vt modò dictum est, nempe illa, quorum toties meminit scriptura, gladius secundo sub sigillo figuratus equo rufo vers.3,4. fames equo nigro significata vers.5,6 & pestis pallido equo denuntiata vers.7,8. Nam inter quinque illa diuinorum iudiciorum genera ordine commemorata Leuit.26. vers. 14. & sequentibus, hæc tria gladius, fames, pestis connumerantur, atque in prophetis legis diuinæ interpretibus sæpè repetuntur, vt Ierem.24.10.& 29,17.Ezech.cap.14.vers.13. & sequentibus, & alibi pasim.

Vers.4.

Bellum.

Equus rufus] Equus iste, & gladius equiti datus insignia sunt bellicorum tumultuum qui acciderunt totos trecentos annos à Christo ad Constantinum. Sed bella ista duobus modis geruntur, partim enim in vniuersum pacem tollunt è terra, præsertim ab Ecclesia; partim alij alios interficiunt, quod infidelibus & hostibus Christi contigit. Hæc igitur duo capita paucis sunt illustranda. Quòd autem

Persecutiones decem primæ.

pacem Ecclesiæ perturbarũt prima illa trecentorum annorum tempora, loquuntur decem notissimæ illæ persecutiones, quas excitarũt crudelissimi tyranni Imperatores Romani martyrocidæ, adeo vt omnia regna, prouinciæ, vrbes, pagi sub Romana ditione Christianorum sanguine toto ferè spatio illo maduerint. Historiã persecutionum scripserunt copiosè Eusebius, Orosius, Abbas Vrspergensis, Nicephorus & alij.

Primam excitauit sæuus tyrannus Nero, vt ait Tertullianus Apolog.cap.5. anno à Christo nato 66. de qua vide Euseb. hist. ecclesiast. lib.2.cap.25. Orosium lib.7.cap.7. Nicephorum lib.2.cap.36. Et Vrspergensem.

Secundam

Secundam concitauit Domitianus anno Christi 96. Tertullianus Apologet.cap.5.Euseb.lib.3.cap.17.Orosius lib.7.cap.10. Abbas Vrsperg.

Tertiam mouit Traianus Hispanus anno Christi 110.Euseb.lib.3 cap.32. Orosius lib.7.cap.12. Niceph.lib.3.cap.16. Abbas.

Quartam exercuit Antoninus anno Christi 170 vel 178. Orosius lib.7.cap.15. Abbas. Euseb.lib.5 cap.1.

Quintam Seuerus intulit anno Christi 204. Euseb.lib.6. cap.1. Orosius lib.7.cap.17.

Sextam concitauit Maximinus anno 238. Euseb.lib.6. cap.28. Orosius lib.7.cap.19.

Septimam Decius mouit anno Christi 252. Euseb.lib.7.cap.1. Orosius lib.7.cap.21.

Octauam Valerianus concitauit anno Christi 258. Euseb.lib.7. cap.10. Orosius lib.7.cap.22.

Nonam commouit Aurelianus anno Christi 273. vel 278. Euseb.lib.7.cap.30. Orosius lib.7.cap.23.

Decimam accendit Diocletianus anno Christi 306. Euseb.lib.8. & 9. Orosius lib.7.cap.25.

Hunc rabidum in Christianos furorem vltio cœlestis subsecuta est, quæ persecutores Ecclesiæ grauissimis iudicijs vindicauit, idque tribus præsertim modis. Nam quidam manus sibi intulerunt, vt Pilatus Euseb.lib.2.cap.7. Nero, Orosius lib.7.cap.7. Otho, Orosius lib.7.cap.8.& alij multi. Quidam occulta vi aut fraude fuerint trucidati: alij denique sese mutuis bellis lacessentes, innumerabiles ediderunt strages, vt in bellis Parthicis, Persicis, Marcomannico & Germanico. Sed hoc tempore & loco satis erit huic instituto nostro factum, si ostendero quali mortis genere truculenta illa septiceps bestia, Romanam nobis figurans monarchiam, Imperatores scilicet Romani qui prædictas decem mouerint persecutiones, finiuerunt vitam. Cætera iustam poscerent historiam. 1. Nero aliquid mali semper moliens, vbi ex Hispania Sergium Galbam aduentare didicit, Senatusq; sententia decretum esset, vt collo in furcam coniecto, virgis ad necem cæderetur, clam medio noctis egressus est vrbem, atque ingenti terræmotu, & spectris interfectorum ab eo occurrentibus perterritus, ad quartum ab vrbe lapidem semet ictu gladij transfegit. 2. Domitianus, qui omnes de genere Dauidis interfici, seque tanquam Deum appellari, scribi, & adorari iussit, tandem omnibus

Mutuæ impiorum cædes.

Persecutorum interitus.

odiosus, à famulis Parthenio & Stephano Domitia vxore tyranni in consilium adscita, interfectus est in palatio. 3. Traianus duobus prioribus moderatior, hydrope vel profluuio ventris extinctus est. 4. Antoninus verus cæteris mitior apoplexia interijt. 5. Seuerus, dum membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum grandis ac plurimæ carnis auidus inuasit, quem cùm conficere non posset, cruditatem passus expirauit, vt author est Sextus Aurelius. 6. Maximinus, dum crudelitatem exercet in omnes, insontes pariter noxiosque, præsertim pecuniosos, tertio imperij sui anno Aquileiæ seditione militum discerptus est vnà cum filio, conclamantibus cunctis militari ioco, *Ex pessimo genere ne catulum habendum.* 7. Decius solo barbarico inter confusas turbas gurgite paludis summersus est, ita vt nec cadauer eius potuerit inueniri. 8. Valerianus in bello persico victus captusque, Sapori Persarum regi equum conscensuro dorsum scabelli vice præbuit vsque ad extremam senectutem, ac tandem pelle sibi à ceruice ad pedes detracta extinctus est. 9. Aurelianus fraude serui sui à militibus interfectus est medio itinere inter Constantinopolim & Heracleam. 10. Diocletianus cum vidit Maxentium à Constantino magno interfectum, suspectans necem dedecorosam, sibi ipse hausto veneno consciuit mortem.

Vers. 5, 6.

Fames. *Equus niger, & qui insidebat ei, habebat stateram in manu sua*] Tertius iste equus, & statera in manu sessoris, figuræ sunt prædicentes famem per orbem terrarum futuram trecentis illis annis prædictis vsque ad Constantinum magnum. De tempore constat ex prædictis ab initio huius capitis, & infrà ex vers. 12. huius capitis, vt ibi dicetur. Istarum figurarum, equi nigri, & stateræ in manu equitis significatio exponitur vers. 6.

Chœnix tritici denario] Nam Chœnix est demensum frumenti, quantum sufficit vni homini in diem vnum, vt in descriptione exercitus Xerxis Herodotus lib. 7. ostendit his verbis: *Nam subducta ratione comperio, si singuli quotidie singulas frumenti chœnicas non amplius accepissent, absumpta fuisse singulis diebus centum millia medimnorum, & trecentos ac quadraginta medimnos, &c.* Denarium autem diurnam fuisse mercedem serui colligimus ex parabola Matth. 20, 2. Quum igitur seruus, qui diurnam operam locabat denario,

nario, nihil ad victum præter panem diurna mercede comparare potuit, maximam his figuris significari annonæ caritatem nihil dubitamus. Vide Leuit. 26.19. Ezech. 4.10,11,16.

Complementum huius vaticinij ex historijs petendum est. In Actis Apostolorum legimus cap. 11.28 famem magnam ab Agabo prædictam, inuasisse orbem terrarum sub Claudio Cæsare. Iosephus belli Iudaici lib. 6. cap. 1. & Hegesippus lib. 5. cap. 18. & sequẽtibus ad cap. 42. narrant vrbem Hierosolymitanam à Tito obsessam grandiore laborasse fame, quàm vt vllius orationis vis satis sit ad eam exprimendam. Complementum.

Tanta erat rei frumẽtariæ inopiæ sub Antonino pio, vt plebecula Imperatorem lapidibus peterent, Sexto Aurelio narrante. Imperante Commodo ingens fames vrbem Romanam oppressit, cuius causam præbuit Cleander quidam Phryx, vt est apud Herodianũ lib. 1. Alexandriam sub Aureliano fame oppressam, sed Anatholij prudentiâ ex parte subleuatam narrat Eusebius lib. 7. cap. 32. Postremò, vnam tritici mẽsuram mille & quingentis Atticis vendi, quando Maximinus sententias contra Christianos latas, per singulas prouincias columnis affixisset, author est Eusebius lib. 9. cap. 8.

Vers. 7,8.

Equus pallidus] Equus iste & mors ei insidens signa sunt futuræ pestis & aliorum morborum pestilentium, quibus magna pars hominum propter Euangelij cõtemptum & persecutionem Ecclesiæ, trucidatur, vt ex fine versus octaui promptum est colligere. Vt autem sciamus hæc tria iudiciorum genera, gladium, famem, & pestem concurrere, & in idem tempus coincidere, ita coniunguntur in fine vers. 8. vt olim prædicta sunt Leuit. 26.25. vide Ezech. 14.13. &c. Quamuis enim iudicia huiusmodi sensim immittat Dominus initio: tamen primo non imponit finem simul ac infertur secundum, nec secundum desinit, vndique peruadente tertio, vt omnium temporum historiæ docent. Vt autem quædam ex historijs repetam de morbis diuinitus immissis eodem trecentorum annorum spatio, Iosephus antiquitatum Iudaicarum lib. 17. cap. 8. Herodem commemorat tetro ac fœtido morbo extinctum. Imperante Vespasiano anno Christi 80. ingentem pestilentiam Romæ grassatam esse, ita vt diebus plurimis quotidie supra decem hominum millia extinguerentur, authores sunt Orosius lib. 7. cap. 9. & Nicephorus lib. 3 Pestis. Complementum.

cap.

cap.11. Anno Christi 134. quando Adrianus obsidebat oppidum Bethoron (Euseb. lib. 4. cap. 6.) plures fame & pestilentia perierunt, quàm potuerunt numerari, vt scribit Melanthon commentarijs in chronicon Carionis. Orosius lib. 7 cap. 15. ait, totam Italiam sub Antonino pestilentia tanta vastatam esse anno 165. vt passim villæ, agri, atque oppida sine cultore atque habitatore deserta, in ruinas syluasque concesserint. Exercitus item Romanus, cunctæque legiones per longinqua latè hyberna dispositæ, ita fuerunt consumptæ, vt Marcomannicum bellum, quod continuò exortum est, non nisi nouo delectu militum, quem triennio iugiter apud Carnotum Marcus Antoninus habuit, gestum fuerit. Ingentem pestilentiam sub Commodo nempe anno Christi 187. Italiam vniuersam occupasse, & in ciuitatem Romanam tam vehementer sæuisse, vt magna iumentorum atque hominum strages sit consequuta, scribit Herodianus lib. 1.

Exoritur vltio violati nominis Christiani sub Decio anno Christi 253. & quatenus ad profligandas Ecclesias edicta Decij cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum pestis extenditur, vt inquit Orosius lib. 7. cap. 21. Nam nulla ferè prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali pestilentia correpta atq; vastata sit, vt ostendit etiam Auentinus lib. 2.

Eusebius lib. 7. cap. 21. & eum sequutus Nicephorus lib. 6. cap. 19 scribunt sub Valeriano, qui habenas imperij accepit anno Christi 256. tam grauem pestem inuasisse Alexandriam, quæ est in Ægypto, vt tot ciues in amplissima ciuitate non erant superstites, quot antea canos senes nutriuerat. Ioannes Funccius in Chronologia ex Trebellio adnotauit ad annum Christi 264. maximam pestem vrbem & alia loca afflixisse. Sed de hoc argumento vide quid Plinius hist. natur. lib. 26. cap. 1. narrat accidisse in Italia medio principatu Tiberij.

Infernus sequebatur eam] Vt Ierem. 22. 6. Ioel. 2. 3.

Vers. 9, 10, 11.

Salus martyrum.

Vidi sub altari animas eorum qui mactati fuerant] Hactenus de calamitatibus trecentorum annorum: sequitur salus æterna martyrum, qui toto illo spatio mactati fuerant propter verbum Dei, vt suprà in vers. 3. dictum est. Ne enim defetiscerent christiani tot miserijs per totam vitam expositi, neue quis putaret pios omnium

hominum

hominum infælicissimos, vidit hîc Apostolus animas interfectorũ pro testimonio Christi, gaudio & quiete frui in cœlis. Nam hoc aspectu consolatur etiam eos, qui per afflictiones conformandi sunt non tam ijs qui propter verbum Dei interfecti sunt, quàm Christo ipsi, quocum simul patientes, simul glorificabuntur Rom. 8. 17. Vide infrà cap. 14. vers. 13. Videant nunc Papistæ cuius spiritus sit Romana sella, quæ anno Christi 1333. ex fœtido ore Ioannis 22. bestiæ bicornis (Pontificis maximi dicere deberem) hunc impurum spiritum exhalauit, *animas corporibus solutas non videre Deum ante nouissimum diem.* Probate igitur spiritus an ex Deo sint 1. Ioan. 4. 1.

Vers. 12.

Deinde aspexi] Tertium hic incipit tempus huius capitis, vt supra diximus in vers. 1. puta iudiciorum Dei effusorum diebus Constantini & seculis sequentibus, partim in persecutores hostesq; Ecclesiæ hoc sexto sigillo, partim in incredulos septimo sigillo cap. 8. & 9. Sed & hoc quoque obseruandum est, Deum antequam hæc efficiat iudicia in mundo, electos suos nota quadam signare cap. 7. & illis prospicere, ne seuerissimis istis iudicijs pereant, vt initio cap. 7 dicetur. Tertium tempus, nempe iudiciorum Dei in hostes ecclesiæ.

Incipit hîc etiam secundum tempus prioris prophetiæ quadripartitæ, diebus Constantini magni, vt initio huius capitis dictum est, & durat vsque ad tempora Wiclefi, Hussij, & Lutheri, quando religio in papismo præsertim pene demersa, restauratur orbi cap. 10. Continet autem spatium quasi mille annorum, quibus iudicia sua in malum hunc mundum effecturus erat Deus. Nam Wiclefus floruit ac prædicauit Euangelium Christi circiter annum 1360. Res toto hoc tempore gestæ sunt vniuersè iudicia Dei, quæ naturâ & tempore distincta sunt in duo genera vt modò diximus: vnum cõtra hostes ac persecutores Ecclesiæ initio regni Constantini hoc sexto sigillo: alterum in incredulos sigillo septimo. Secundum tempus. Duo genera iudiciorum Dei.


Iudicium Dei contra persecutores Ecclesiæ exercuit Constantinus, sicut omnes testantur qui eius historiam scripserunt. Quamobrem dilucida huius iudicij, & huius sexti sigilli expositio ex historijs petenda est, velut ex duobus postremis capitibus libri octaui Iudicium Dei contra persequutores.

historiæ Ecclesiasticæ Eusebij ex tribus postremis capitibus libri noni, ex toto libro decimo, & ex libris de vita Constantini. Orosius lib.7.cap.27. comparat hanc liberationem Ecclesiæ per Constantinum, cum populo Israëlitico ex AEgypto per Mosem ducto: & pœnas persecutorum cum plagis Pharonis & AEgyptiorum. Tum rem vti erat à Constantino gesta, complectitur paucis cap.28. Ex quibus facile est videre, minimis momentis maximas fieri rerum & temporum inclinationes; tristemque ac verè tragicam Ecclesiæ faciem trecentorum annorum, diuinâ prouidentiâ subitò conuersam in lætitiam & gaudium. Atque hoc tempore ligatum fuisse Satanam arbitramur, vt infrà cap.20. dicetur.

Hæc autem quæ sexto reserato sigillo ostenduntur Ioanni, intelligi debere de iudicijs contra persecutores improbos, non de afflictionibus piorum certo certius constat ex tribus postremis versiculis huius capitis, vbi tyranni martyrocidæ sese abdunt in speluncis propter metum Agni sese vindicantis de persecutoribus Ecclesiæ; & ex simili loquutione passim in prophetis occurrente. Nam primum narrat Apostolus quæ signa futuræ cladis viderit in terris & in cœlis vers.12,13,14. Deinde quæ effecta tantam cœli ac terræ commotionem sequuta sunt vers.15.16. nempe, reges & potentes, qui tantum sanguinis Christiani hauserant superioribus trecentis annis, præoptantes à montibus obrui, quàm ferre aspectum insidentis throno & Agni. Ratio tanti timoris redditur vers.17. quia venit dies ille magnus iræ. Vide Esaiæ cap.2. vers.21. Istiusmodi loquutiones hyperbolicæ frequentes sunt in prophetis, veluti Esaiæ cap.13.10. & cap.24.18,23. & cap.34.4. Ioel cap.2.10.

ANALY-

Analysis. Cap.7.


Capitis 7. partes sunt duę

1. Prior est visio, quæ ostendit iudicia cap. 6 12. prædicta, non peruasura mundum antequam caueatur electis, tribus primis versibus.
2. Posterior est modus conseruationis electorum, id est, Ecclesiæ
   1. Visibilis, visibili nota, nempe publica confessione Christi, vers. 4. &c.
   2. Inuisibilis inuisibiliter: Huius
      1. Propositio, id est, visio
         - Electorum latitantium, sed laudantium Deum, & salutem suam ei ascribentium, vers. 9, 10.
         - Angelorum applaudentium eis vers. 11, 12.
      2. Expositio
         1. Narrat
            1. Qui sint
            2. Vnde sint (vers. 13, 14.)
            3. Cur sint ante thronum, vers. 15.
         2. Docet eos fore immunes à miserijs venturis, quia
            1. Deus obumbrat eos, vers. 15. in fine.
            2. Christus pascit eos, vers. 16, 17

Cap. 7.

1 *POstea vidi quatuor Angelos insistentes quatuor angulis terræ,*
tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram,
neque super mare, neque in vllam arborem.

2 *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem*
sigillum Dei viui: qui clamauit voce magna quatuor Angelis quibus
datum est nocere terræ & mari,

3 *Dicens, Ne nocete terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque obsignemus seruos Dei nostri in frontibus suis.*

4 *Et audiui numerum obsignatorum: centum quadraginta quatuor millia* erant *obsignata ex omnibus tribubus filiorum Israel.*

5 *Ex tribu Iuda, duodecies mille obsignata: ex tribu Ruben, duodecies mille obsignata: ex tribu Gad, duodecies mille obsignata:*

6 *Ex tribu Aser, duodecies mille obsignata: ex tribu Nephtali, duodecies mille obsignata: ex tribu Manasse, duodecies mille obsignata:*

7 *Ex tribu Simeon, duodecies mille obsignata: ex tribu Leui, duodecies mille obsignata: ex tribu Issachar, duodecies mille obsignata:*

8 *Ex tribu Zabulon, duodecies mille obsignata: ex tribu Ioseph, duodecies mille obsignata: ex tribu Beniamin, duodecies mille obsignata.*

9 *Postea aspexi, & ecce,* aderat *turba multa, quam numerare nemo possit, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis: stabántque ante thronum & in conspectu Agni, amicti stolis albis: & palmæ in manibus eorum.*

10 *Et clamabant voce magna, dicentes, Salus à Deo nostro* est, *sedente super thronum &* ab *Agno.*

11 *Omnes autem Angeli stabant in circuitu throni & seniorum & quatuor animalium: & procubuerunt in conspectu throni in facies suas, & adorarunt Deum,*

12 *Dicentes, Amen: benedictio, & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & robur Deo nostro in secula seculorum. Amen.*

13 *Tum me compellauit vnus ex senioribus, dicens mihi, Isti qui amicti sunt stolis albis, quinam sunt, & vnde venerunt?*

14 *Et dixi ei, Domine, tu nosti. Et dixit mihi, Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna: & lauerunt stolas suas, ac dealbarunt in sanguine Agni.*

15 *Ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui insidet throno, habitabit cum eis.*

16 *Non esurient amplius, neque sitient amplius: nec in eos incidet sol neque vllus æstus.*

17 *Quoniam Agnus qui in medio throni est, pascet eos, & deducet ad viuos fontes aquarum: & abstersurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

ANNOTATIO.

Quæ hoc capite narrantur, cum præcedentibus coniungenda sunt, vt suprà in cap.6.12. annotatum est. Nam tempore & ordine conueniunt. Quum enim sigillo sexto soluto accepimus vindictā diuinam in sanctorum carnifices exardescere, ne promiscuæ forent omnium strages, vidit Ioannes hoc capite septimo pios è panolethria illa eripiēdos, qua cruciabuntur reprobi. Vt enim Deus Noe prospexit & familiæ eius, cæterisque animantium generibus, antequam mundus aquis submergeretur Gen.6.&.7.& 8. vt Lot præreptus fuit ex incendio Sodomæ & vicinárum ciuitatum Gen.19. vt Israëlitarum domus signatæ erant sanguine Agni postibus inspersо, priusquam perderentur primogeniti AEgyptiorum Exod.12.7,13. vt aquæ maris rubri non reuersæ sunt ad obruendum Pharonem & AEgyptios, antequam in tuto collocarentur Israëlitæ Exod.14. vt gementes & suspirantes Iudæi frontibus signarentur ante excidium Hierusalem Ezech.9.4. ita hoc loco quatuor Angeli tenent quatuor ventos, ne perflent; terram, ne concutiatur; solem ac lunam, ne retrahant lucem suam; stellas, ne cadant è cœlo; cœlumque, ne recedat & abscondatur antequam obsignentur serui Dei in frontibus. Porrò & hoc obseruandum est, electis prospectū esse vt liberentur non modò à grauissimis iudicijs quæ exercuit Constantinus magnus, vt diximus suprà in cap.6.12. & initio huius capitis patet; sed etiam è maximis calamitatibus, quæ per annos mille venturæ & grassaturæ sunt in orbe simul ac aperiatur sigillum septimum cap.8.1. vt videre licet cap.9. vers.4. & cap.14.1.

Electi liberantur ab interitu improborum.

Vers.1.

Postea vidi] Huius capitis partes sunt duæ: prior est visio tribus primis versiculis, qua partim figuris, partim verbis apertis ostēditur conseruatio electorum è miserijs futuris: altera est modus quo conseruantur vers.4. & sequentibus ad finem capitis. Quoniā verò electorum in hoc mundo peregrinantium, siue Ecclesiæ militantis pars quædam visibilis est semper, alia pars plerunque latet mundo inuisibilis; icircò qua ratione vtrique parti cautum sit, in sequentibus declaratur; ac de visibili Ecclesia vers.4. & reliquis ad vers.9. de latente & inuisibili vers.9. &c. ad finem capitis.

Iudicia Dei nō grassantur in mundo antequā cautum sit electis.

Quatuor Angelos] Administros primorum iudiciorum Dei, de quibus dictum est in cap. 6. 12. *Quatuor ventos terræ*] Quibus Angeli ministri iudiciorum omnimodas procellas excitarent & tempestates in mundo contra hostes Ecclesiæ. Quamuis enim hæc bella gessit Constantinus; tamen Angelos ei adiutores datos esse à Deo non dubitamus. Nam Iacobo aderant contra Esauum Gen. 32. 1. & restiterunt Cambysi iniqua contra Iudæos cogitanti Dan. 10. 13. Neque fortuna res gerebatur, quando Maxentius aduersus Constantinum pugnans, lapsu equi in profundum demersus est, vt inquit Sextus Aurelius.

Vers. 2, 3.

Et dico, nam vidi alterum Angelum] Ratio proximi versiculi. Angeli quatuor tenebant quatuor ventos ne flarent super terram, quia ita illis imperatum fuit à Domino. *Sigillum Dei viui*] Publica professio Christi coram mundo est instar sigilli, quo internoscuntur fideles ab infidelibus.

Sigillum Dei quid.

Vers. 4.

Visibilis ecclesia obsignatur sigillo Dei, ne pereat cum improbis.

Et audiui numerum obsignatorum] Expositâ summâ visionis; sequitur modus quo primùm cauetur Ecclesiæ visibili, vt suprà in vers. 1. diximus. Obsignantur autem sigillo Dei viui, vt cum ministri iræ Dei sigillum viderint, prætereant eos & intactos relinquāt. Christus Spiritu sancto obsignat electos, dum in nouam vitam restituuntur, & imago Dei restauratur in illis. Hoc verò sigillum non palam conspicitur, nisi dum publica fit confessio fidei.

Tribubus filiorum Israël] Hoc nomine intelligitur sancta & visibilis Ecclesia tam ex gentibus quàm ex Iudæis collecta, vt constat infrà cap. 14. 1. *Numerare*] Numerus magnus ponitur pro infinito & innumerabili. Etsi enim solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, *Nouit Dominus qui sunt sui* 2. Tim. 2. 19. tamen nobis sunt innumerabiles.

Vers. 9.

Ecclesia inuisibilis cōseruatur temporibus difficillimis.

Postea aspexi] Quo modo cautum est Ecclesiæ visibili accepimus vers. 4. scilicet quòd electi conspicui mundo habent sigillum, id est, nomen Patris scriptum in frontibus suis, vt infrà dicitur cap. 14. 1. Nunc restat considerandum qua ratione prospectum sit inuisibili Ecclesiæ, id est, electis qui in facie mundi non versantur, sed

latitant fidemque intus alunt, quales plures semper extiterunt, veluti diebus Eliæ, ipse solus nomen Patris, id est, hoc ipsum sigillum Dei scriptum habuit in fronte, cùm reliqui septem millia hoc sigillum Dei in cordibus tantum impressum habuerunt 1. Reg. 19. 18. Quòd autem hunc locum interpretor de Ecclesia militante, non autem de triumphante, faciunt series orationis, & scopus Spiritus sancti. Nam hoc caput interpositum inter iudicia contra hostes Ecclesiæ suprà denuntiata (etsi anteponi rectè potuit) & calamitates infrà cap. 8. & 9. incredulis superuenturas, ostendit tamen quibus modis Deus tam longo mille annorum spatio, omnibus suis electis consultum voluit; vt firmi fide, & immunes à periculis permanerent. Neque vlla vt opinor, iusta subest ratio, cur de triumphante Ecclesia hæc dicta putaremus. Loquutiones illæ in fine capitis vers. 15, 16, 17. tam de militante Ecclesia dicuntur in prophetis vnde sumptæ sunt, ac de triumphante infrà cap. 21. 3, 4. Quamobrem vt dilucidior sit hic locus, ista duo ordine posita, à nobis sunt consideranda: primùm visio proposita quatuor versiculis; deinde aperta visionis expositio vers. 13. & sequentibus ad finem capitis.

Duo autem vidit Ioannes: primùm turbam electorum innumeram colentium Deum vers. 9. (quod enim stant ante thronum & in conspectu Agni, est cultus gratiâ) & salutem suam ei ascribētium vers. 10. deinde Angelos ipsis applaudentes vers. 11, 12. Magna est turba electorum, qui non sunt conspicui mundo.

Amicti stolis albis] Id est, induti iustitiâ Christi, vt infrà exponitur vers. 14. Vide suprà cap. 1. 5. & cap. 3. 5.

Stabant ante thronum] Cultus gratiâ, vt modò diximus, & infrà exponitur vers. 15. *Palma in manibus*] Insignia victoriæ contra carnem, mundum, & diabolum partæ per Christum. Vide 1. Machab. 13. 37, 51.

Vers. 13.

Tum me compellauit] Expositio visionis, vt in vers. 9. dictum est, in qua primùm hæc tria exponit. 1. qui sint illa innumera multitudo, 2. vnde veniant vers. 13, 14. 3. cur sint ante thronum vers. 15 deinde satisfacit proposito, ac ostendit qua ratione proteguntur contra calamitates orbem inuasuras vers. 15, 16, 17. Expositio inuisibilis ecclesiæ.

Me compellauit] Mirari quis meritò potuit tantum numerum hominum ex omni gente, lingua, & natione sub cœlo, in conspectum throni venire post obsignatam visibilem Ecclesiam & benè munitam

munitam contra futuras miserias: quò circa Ioannem huius rei mysterium sciscitaturum, aut saltem scire cupientem, interuertit appellatione blanda vnus ex viginti quatuor Senioribus, & rogat an intelligat quænam sit ingens illa populorum multitudo, & vnde veniant; præ se ferens mysterij expositionem in promptu fore si id modo desideret.

Vers. 14.

Et dixi ei] Respondenti Ioanni, se sperare informandum ab eo de tota multitudine illa, exponit rem omnem Angelus, & primum dicit; venerunt ex afflictione magna. q.d. etsi latitant, nec conspiciuntur in visibili Ecclesia, tamen afflictionem patiuntur, cuius participes sunt omnes, vt quum patefiet gloria, vitâ æternâ fruantur. *Lauerunt stolas*] Hoc est, ablutis corporibus purâ aquâ induerunt Christũ, cuius sanguini admirabilis vis inest, vt si fuerint peccata velut dibapha, tanquam nix exalbescere faciet; si rubra fuerint velut coccineum, similia faciet lanæ Esai. 1. 18.

Vers. 15.

Ideo sunt ante thronum] q.d. hæc ratio est cur, præter visibilem Ecclesiam quam suprà videras obsignatam, etiam hæc innumerabilis turba locum habet ante thronum, scilicet quia lauerunt stolas in sanguine Agni. Hanc ob causam illi quoque Deum iugiter colunt, & sunt protegendi à futura calamitate.

Quomodo latitans ecclesia conseruatur.

Et qui insidet throno habitabit cum eis] Hactenus exposita est visio: iam declarandum est, quo modo hæc etiam latitans & inuisibilis Ecclesia munienda sit contra prædictas miserias venturas in vniuersum orbem, vt suprà in vers. 13. diximus. Ei autem consultum est de salute in periculosissimis temporibus duobus modis; primùm Deus collocato inter ipsos tabernaculo suo, ab omni iniuria protegit, his postremis verbis vers. 15. vt Ezech. 11. 16. secundò, Christus prouidet eis de rebus necessarijs vers. 16, 17.

ANALYSIS.

ANALYSIS. Cap.8.

Cap. 8. sigillo septimo reserato prodeunt septem tibicines cum suis tubis, quarum quatuor priores & minores sunt tentationis, cap.8.

1. Prima tuba, vel primus tubicen denotat Arium, vers. 7.
2. Secunda indicat Constantium Imperatorem & Iulianum apostotam, vers. 8.
3. Tertia prædicit Macedonium pneumatomachum, vers. 10.
4. Quarta significat Nestorium & Eutichetem, vers. 12.

CAP. 8.

1 *PORrò quum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, media ferme hora.*

2 *Et vidi septem illos Angelos qui adstant coram Deo, quibus data sunt septem tubæ.*

3 *Tum alius Angelus venit, & stetit ante aram, habens thuribulum aureum: & dati sunt ei suffitus multi, vt offerret cum precibus Sanctorum omnium, super altare aureum quod est ante thronum.*

4 *Ascendit autem fumus suffituum* cum *precibus Sanctorum, è manu Angeli ad conspectum Dei.*

5 *Deinde accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud igne altaris, abiecítque in terram: & facta sunt tonitrua & voces, & fulgura & terræmotus.*

6 *Et septem Angeli qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt clangerent.*

7 *Primus igitur Angelus clanxit, & facta est grando & ignis, mista sanguine proiectáque sunt in terram: & tertia pars arborum exusta est, & omne fœnum viride exustum.*

8 *Deinde secundus Angelus clanxit, & quasi mons magnus igne ardens proiectus est in mare: factáque est tertia pars maris, sanguis.*

9 *Et mortua est tertia pars creaturarum quæ erant in mari, animantia* dico: *& tertia pars nauium perierunt.*

10 *Tum Angelus tertius clanxit, & cecidit è cœlo stella magna, ardens velut fax, cecidítque in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.*

11 *Nomen autem stellæ dicitur Absinthium: versa est igitur tertia pars aquarum in absinthium: & multi homines mortui sunt ex aquis, quòd amaræ factæ essent.*

12 *Deinde quartus Angelus clanxit, & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum: ita vt obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.*

13 *Et vidi, & audiui vnum Angelum volantem per medium cœli, dicentem voce magna, Væ, væ, væ incolis terræ, à reliquis sonis tubæ trium illorum Angelorum qui clangent.*

ANNOTATIO.

Iudicia Dei contra incredulos.

Porro] Alterum genus iudiciorum Dei, naturâ & tempore à priori distinctum, vt suprà in cap. 6. 12. dictum est. Nam primum genus cœpit Deus contra sæuos tyrannos martyrocidas exsequi per Constantinum magnum anno Christi 310. vt dictum est, & exsequuturus est eodem modo per alios administros, quoties sibi visum fuerit. Alterum hoc genus incœptum anno Christi 322. quando Arius presbyter Alexandrinus virus cœpit spargere in Ecclesiam, exsequitur per hæreticos & pestiferos homines vsque ad Wiclefi tempora & restitutionem veritatis Euangelij, vt, qui veritatis amorē nolunt recipere, qua salui fiant, sequantur doctrinas dæmoniorum, eorumque mēdacijs credant, & damnentur 2. Thess. 2. 10, 11, 12. Hanc enim Deus pœnam iustè hominibus irrogat, qui in verbo eius non acquiescunt, sed veritatem mutant in mendacium, vt Stephanus docet Act. 7. 41, 42. Sicut enim non visum est eis Deum in notitia retinere: ita tradit eos Deus in mentem omnis iudicij expertem Rom. 1. 28. Reserato igitur sigillo septimo prodeunt Angeli septem iudiciorum istorum contra incredulos administri, quibus datæ sunt septem tubæ, vt his buccinent, omnesque vocent ad spiritualem pugnam. Hæc autem iudicia ita in duo genera video distincta; vt quædam sint leuiora, alia verò grauiora. Angelus enim volans per medium cœli, & ter ingeminans voce magna, *Væ, væ, væ incolis terræ, à reliquis sonis tubæ trium illorum Angelorum qui clangent* infrà vers. 13. huius capitis, docet tres postremas tubas grauitate iudiciorum superare priores. Hanc itaque diuisionem retinebimus, præsertim quum hac ratione certam habemus etiam temporis distinctionem. Nam prima trium postremarum tubarum *Pontificem pessimum Maximum Antichristum Romanum* euocat ad prælium cap. 9. 1. Is autem è cœno abysi infernalis præcipuè emersus est anno Christi 606. vt in Chronologia sua adnotauit D. Ioannes Funccius optimè de Ecclesia Christi meritus. Continet

igitur

igitur hoc caput quatuor priores tubas, leuiores calamitates, & tempus annorum 284. videlicet ab anno Christi 322. ad annum 606. Hactenus res plana est & perspicua, vt mea fert opinio, sed in accommodatione quatuor primarum tubarum hæsito. Sequar tamen quod probabile videbitur. Tempus hoc annorum 284. puta à decimo tertio anno Imperij Constantini magni ad *Papatum*, ferax est impurissimarum hæresium, quæ fidei fundamentum conuellere conantur. Et vt priora bella Ecclesiæ indicta, à Christo ad Constantinum magnum, externa erant, ab infidelibus ethnicis & professis hostibus illata: ita hæc quæ sequuntur maxima ex parte sunt domestica, ab ijs qui veri Dei nomen verbo tenus profitentur, importata, hærentque in ipsis Ecclesiæ visceribus.

Silentium in cœlo mediâ ferme horâ] Quemadmodum Daniel cap.4.19. obstupefactus grauitate iudicij in Nebucad-netzarem, siluit quasi horam vnam: haud aliter cœlestis exercitus, qui aliàs voces edere solet, futurorum ciuilium bellorum classico horrore perculsus obstupescit & silentium altum tenet mediâ quasi horâ. Silentium in cœlo.

Vers.2.

Angelos qui adstant coram Deo] Ministros sequentium iudiciorum exspectantes mandatum Dei. Quum autem datæ sunt illis septem tubæ, facti sunt tubicines.

Vers.3.

Tum alius Angelus] Videlicet magnus ille Angelus fœderis (Esaiæ 42.6. Malach.3.1.) Iesus Christus solus mediator inter Deum & homines tam intercesionis quàm redemptionis, & per quem solum fideles asiduè offerunt sacrificia laudis Heb.13.15. Huius Angeli magni duo describuntur facta: primum, quòd sacerdotale munus obit pro electis, eorumque sacrificia precum & beneficentiæ offert Deo vers.3,4. secundum, quòd ignem ab altari sumptum mittit in terram vers.5. Christus mediator.

Thuribulum aureum] Quale erat sub lege. Etsi enim diserta aurei thuribuli mentio non facta sit in Exodo ab initio capitis 25. ad finem vsque libri; tamen ex Num.4.14. colligitur, tale Mosi imperatum fuisse in monte. *Suffitus*] Sunt preces sanctorum, vt verba sequentia docent, & suprà cap.5.8. patet. *Altare aureum*] Quale

erat in Tabernaculo Mosis Exod.40.26. & in Templo Solomonis ante portam Adyti 1.Reg.6.22.sed extra Adytum.

Vers.5.

Ignis missus in terram. *Abiecitque in terram*] Vt vbique excitaretur incendium illud futurum per hæreses. Venit enim Christus tam ignem missurus in terram ad perturbandum impios, quàm pacem facturus inter pios Luc.12.49. Vide Ezech.10.2.

Vers.7.

Quatuor tubarum expositio breuis. *Primus igitur Angelus*] Primâ tubâ Arianam hæresim figuratam: secundâ Constantium Imperatorem & Iulianum apostatam præmonstrari: tertiâ Macedonium significari: quartâ hæresim Nestorij & similium qui in persona Christi errarunt, notari arbitramur. Nam prædicto 284. annorum curriculo viguerunt, & sacrosancta Catholica Ecclesia Christi contra istos maximè decertauit.

ANALYSIS.

ANALYSIS. Cap.9.

Cap.9 prodeunt duo tubicines,

- 1. Quintus, qui significat Papam, cuius
  - 1. Ortus & poteſtas, verſ.1.
  - 2. Fructus & effectus eſt, quòd
    - 1. Aperto puteo abyſsi emittat fumos, quibus obſcurat veritatem Dei, verſ.2.
    - 2. Ex fumo cudat locuſtas, verſ.3. quarum
      - 1. Poteſtas quam
        - Habent in ſeipſis, eſt poteſtas ſcorpionum, verſ.3.
        - Exercent erga alios, finita eſt reſpectu
          - Perſonarum. Nam reprobis tantùm nocent, non electis, verſ.4.
          - Factorum. Nam reprobos cruciari tãtùm poſſunt, non occidere, verſ.5, 6.
      - 2. Hypotypoſis ſeu forma externa,
        - 1. Similes ſunt equis ad bellum paratis, verſ.7.
        - 2. Capita redimita coronâ aureâ, verſ.7.
        - 3. Faciem hominum habent, verſ.7.
        - 4. Capillos habent mulierũ, v.8
        - 5. Dentes habent leonũ, verſ.8.
        - 6. Loricas habẽt ferreas, verſ.9.
        - 7. Sonus alarum, verſ.9.
        - 8. Caudæ aculeatæ, verſ.10.
- 1. Sextus, qui ſignificat Mahumetem, cuius
  - 1. Deſcriptio duplex
    - 1. Ducum & imperatorum ex
      - 1. Numero, quatuor ſunt, verſ.14, 15
      - 2. Loco, Euphrates, verſ.14.
      - 3. Prompta voluntate, parati ſunt in horam, &c. verſ.15.
      - 4. Fine, vt occidant, verſ.15.
    - 2. Exercitus, ex
      - 1. Numero, verſ.16.
      - 2. Apparatu, verſ.17.
  - 2. Effectus in
    - 1. Ipſis, tertiam partem hominum interficiunt, verſ.18. ratio verſ.19.
    - 2. Alijs, qui horum gladium effugiunt, ſunt impœnitentes, verſ.20, 21.

Cap. 9.

1 TVm quintus Angelus clanxit, & vidi stellam è cœlo cecidisse in
terram, cui data est clauis putei abyssi.
2 Aperuit igitur puteum abyssi: & ascendit fumus putei vt fumus
fornacis magnæ: & obscuratus est sol & aër à fumo putei.
3 Ex fumo autem exierunt locustæ in terram: datáque est illis po-
testas qualem habent potestatem terrestres scorpij.
4 Et ipsis est dictum ne læderent gramen terræ, neque viride quic-
quam, neque vllam arborem: sed tantùm homines qui non habent sig-
num Dei in frontibus suis.
5 Datum autem est eis non vt occidant eos, sed vt crucientur illi
menses quinque, sitq; cruciatus eorum vt cruciatus scorpij quum per-
cusserit hominem.
6 Itaque per eos dies homines quærent mortem, sed non inuenient
eam: & desiderabunt mori, sed fugiet mors ab eis.
7 Figuræ autem locustarum similes erant equis paratis ad præ-
lium, erantque super capita earum tanquam coronæ similes auro, &
facies earum vt facies hominum.
8 Et habebant capillos vt capillos mulierum: & dentes earum vt
leonum erant.
9 Habebant etiam loricas vt loricas ferreas: & sonitus alarum
ipsarum vt sonitus curruum, equis multis currentibus ad bellum.
10 Sed & habebant caudas similes scorpionum, eránque aculei
in caudis earum: & earum potestas erat nocere hominibus menses
quinque.
11 Habent autem sibi impositum regem, Angelum abyssi, cui no-
men Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, id est perdens.
12 Væ vnum abijt, & ecce veniunt adhuc duo væ posteà.
13 Tum sextus Angelus clanxit, & audiui vocem quandam ex
quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei,
14 Dicentem sexto Angelo qui habebat tubam, Solue quatuor il-
los Angelos vinctos ad magnum Euphratis flumen.
15 Soluti sunt igitur quator illi Angeli, parati ad horam & diem
& mensem & annum, vt occidant tertiam partem hominum.
16 Erátque numerus equestris exercitus bis millies centena mil-
lia: nam audiui numerum eorum.

17 Itémque

17 *Itémque vidi equos per visionem: & ipsorum sessores habentes thoraces igneos & hyacinthinos & sulphureos: erant autem capita equorum vt capita leonum: & ex ore ipsorum prodibat ignis & fumus & sulphur.*

18 *Ab his tribus occisa est tertia pars hominum,* nempè *ab igne, & fumo, & sulphure, quæ prodibant ex ore ipsorum.*

19 *Potestas enim eorum in ore eorum est, & in caudis eorum: nam caudæ eorum similes sunt serpentibus, habentes capita per quæ nocent.*

20 *Porrò reliqui homines qui non sunt occisi his plagis, non resipuerunt ab operibus manuum suarum, vt ne adorarent dæmonia & simulachra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare:*

21 *Neque resipuerunt ab homicidijs suis, neque à veneficijs suis, neque à scortatione sua, neque à furtis suis.*

ANNOTATIO.

Tum quintus Angelus] De quatuor primis tubis ex tempore & ex rebus ipsis coniecturam fecimus capite superiore, sequuntur tres postremæ tubæ, quæ priores quidem illas satis per se diras & funestas, grauitate mali longè superant, vt suprà dictum est in cap.8.1. Ex tribus istis tibicinibus primus filium perditionis euocat ab inferis, vndecim primis versibus huius capitis: secundus soluit quatuor turmas Saracenorum, Turcarum, & Tartararum infrà vers.13. huius capitis: tertius voce Archangeli ac Dei tuba omnes excitat ad iudicium cap.11.15. vt obseruatum est suprà in cap.6.15. Aliud hîc initium temporis obseruandum est, vt in cap.8.1. diximus. Nam *Papatus* initium constituitur anno 606. Mahomet autem regnum Saracenicum instituit anno Christi 623. Sed vt Arianismus non desijt exorto Macedonio, nec priori hæresi finem imposuit posterior; ita nec Mahumetismus deleuit Papatum, sed Romanus Pontifex ipsemet Antichristus, & Mahumet pestis orbis terrarum & flagellum Dei simul regnarunt plusquam annis septingentis vsque ad restitutionem Euangelij. Atque Antichristo iam confosso atque profligato potẽte & æterno verbo Dei, quod prædicarunt efficaciter duo illi testes Christi, de quibus fit mentio infrà cap.11.3,11. Viuit adhuc Mahumetismus victurusque est, quandiu Domino visum fuerit. Sed inprimis tempus durantis ac regnantis Papatus ad restauratio-

Distributio triũ postremarum tubarum.

Hæc prophetia incœpit anno Christi 606.

nem veritatis per veros prædicatores Euangelij factam, memoria tenendum est. Breuis igitur est Papisticæ tyrannidis descriptio vndecim versibus comprehensa, sed duratio longa seculis amplius septem. Sed de subuersione Papatus, & de restauratione Euangelij, dicendum initio cap.10.

Stella cadēs denotat Papam.

Stellam è cœlo cecidisse in terram] Stella ista est Papa Romanus. Nam primò, ille, qui hæreticam prauitatem inuexit in Ecclesiam Christi, proximè ante Mahumetismum, de quo infrà vers.13. est stella ista cadens è cœlo. Sed Bonifacius tertius Papatum erexit, & perturbauit Ecclesiam hæretica prauitate, proximè ante Mahumetem. Nam illum antecessit septemdecim tantum annos. Pontifex igitur Romanus est ista stella cadens. Secundò, hypotyposis ista locustarum, quarum rex est hæc stella è cœlo lapsa, vt infrà vers. 11. patet, clero tantùm Romano conuenit. Igitur Antichristus ipse Romanus hac decidente stella significatur. Tertiò, filius ille perditionis, de quo Paulus vaticinatur 2. Thess. 2. 3. &c. est ipsissimus Antichristus Romanus, vt plurium tum veterum, tum recentiorum virorum Dei testimonio poterit facilè comprobari. At hæc cœlo lapsa stella est filius ille perditionis. Sic enim disertis verbis tum hebraicè tum græcè appellatur infrà vers. 11. huius capitis. Et ne illud ei nomen immeritò impositum videretur, martyrocida dicitur cap. 11.7. quum de incredulis improbis perdendis nulla potest esse apud pios dubitatio. Quamobrem ruens hæc stella est ipse Pontifex Romanus. Neque iniuriam vllam hoc dicto aut infamiam Romanæ sellæ inferimus. Quod enim Gregorio Episcopo Romano penultimo licitum fuit, id nobis non debet denegari aut vitio verti. Gregorius autem magnus in quo tantopere gloriantur papicolæ, prædixit Antichristum fore, quicunque œcumenici Episcopi titulum sibi vendicaret. Quum igitur tertio post Gregorij mortem anno, Bonifacius tertius (nisi Malefacium potiùs dicere debeam) Phocæ parricidæ patrocinio œcumenicum se Episcopum mundo venditauit, comprobatum fuit Gregorij vaticinium, *Papá*que Romanus, Romani Episcopi iudicio, Antichristus est declaratus. Itaque nobis Dei gratiâ liceat languentem iam Pontificem Romanum appellare Antichristum.

Papa habet claues inferni.

Clauis putei abyssi] Claues iactat Pontifex Romanus, ecce infernales habet, neque ego illas ei inuideo, modò sibi ac suis habeat.

Hæc

Hæc est Papæ Romani potestas diabolica & apostatica, quam latrones illi Apostolicam vocant.

Vers. 2.

Aperuit] Accepta potestate Pontifex inferni puteum aperit, emittit fumum falsæ & apostaticæ doctrinæ vt solem iustitiæ nobis obscuritate auferat, (ignorantia enim verè est mater Papisticæ religionis) ac tandem ex fumo cudit locustas sequentes, id est, totum Romanum clerum, vt videre est versibus sequentibus. Fumus significat doctrinam papisticam.

Vers. 3.

Exierunt locustæ] Id est, clerus Romanus. Locustarum declaratur potestas versibus quatuor, & hypotyposis seu forma externa vers. 7. & sequentibus. Locustæ sunt clerus Romanus.

Vers. 10.

Menses quinque] Vt vers. 5. suprà. Nullum mysterium, aut certum temporis spatium hoc numero præfinitum arbitror, sed suum tantùm his Papisticis locustis designari tempus per allusionem ad locustas naturales, quæ autumni tempore oua condensa pariunt caule spinæ in terram dimisso, ex quibus nascuntur altæ exitu subsequentis veris. Mares autem & matres post partum moriuntur omnes, vt tradit Aristoteles de natura animalium lib. 5. cap. 28. & Plinius histor. natur. lib. 11. cap. 29. & constanter affirmant, qui sæpè viderint. Nihil autem impedit eundem numerum aliquando carere mysterio, qui aliàs mysticus est.

Vers. 12.

Væ vnum abijt] Hoc versu transitur à quinta ad sextam tubam.

Vers. 13.

Tum sextus Angelus] Qui tempore & ordine sequitur quintum, & clangere cœpit anno Christi 623. quando Mahomet regnum Saracenorum primùm instituit. *Altaris aurei*] Vt suprà cap. 8. 3. Mahomet.

Vers. 14, 15.

Quatuor illos Angelos] Id est, Saracenos, Turcas, & Tartaros. Quamuis enim hi tres sunt; quatuor tamen constituerunt regna. Nam primùm Saraceni regnarunt annis plusquam ducentis: de-

inde

inde Turcæ viribus paulatim acquisitis profligarunt Saracenos, & imperium arripuerūt: tertiò, horum potentiam annis ferè ducentis pòst, Tartari attriuerunt, atque imperium rexerunt vsque ad Ottomannum illum Turcicæ libertatis vindicem acerrimum: postremò Tartaris deuictis imperium rursus ad Turcas deuolutum est anno Christi 1300.

Deus lento gradu exsequitur iudicia in incredulos.

Qua ratione Deus & Pater misericordiæ sensim lentoque gradu effudit iram suam in incredulos, obseruare debemus. Nam primò emisit quatuor priores tubas, quibus leuiores significari calamitates prædiximus ad cap. 8. 1. vt est ex transitione cap. 8. 13. manifestum. Secundò, ex puteo infernali euocauit Antichristum Romanum, ad incredulos cruciandos, non autem occidendos, priori parte huius capitis. Sicut enim Deus modum diabolicæ potestati statuit in Iobo affligendo: ita Antichristo Romano nō permisit quidlibet pro libitu agendi facultatem, sed disertis verbis quousque eius rabies progredi debet præscripsit suprà versibus quarto & quinto huius capitis. Tertio nunc demum loco excitauit barbaros istos sæuosque Saracenorum, Turcarum, & Tartarorum exercitus ad supplicium sumendum de ijs qui petulanter Euangelium Iesu Christi Domini nostri fastidiunt. Ac potestatem dedit eis, vt tertiam partem hominum occidant vers. 15. Attamen quum reliqui homines qui non sunt occisi his plagis, non resipuerint ab operibus manuum suarum, vt infrà patet vers. 20, 21. iurat Christus cap. 10. 6. tempus ad resipiscentiam non fore amplius concessum ipsis, sed in diebus vocis septimi Angeli, quum cœperit clangere, consummandum esse mysterium Dei, & ipsos funditus perditum iri.

Huius tragœdiæ partes sunt præsertim duæ reliquo hoc capite: prima cōtinet barbaræ & inhumanæ gētis istius descriptionem vsque ad vers. 18. Secunda effectum inde ad finem capitis. Descriptio præferocium istarum gentium duplex est: primò describit duces primarios & imperatores vers. 14, 15. Secundò reliquum exercitum vers. 16, 17. Primarios duces describit quatuor notis: primùm, ex numero, quòd quatuor sunt: deinde ex loco vbi sunt, scilicet ad magnum Euphratis flumen vers. 14. tertiò ex prompta ipsorum voluntate ad exsequenda iudicia Dei, quòd parati sunt ad horam & diem & mensem & annum: postremò ex fine, propter quem mittuntur à Deo, videlicet vt occidant tertiam partem hominum vers. 15.

Vers.


Verſ.16,17.

Eratque numerus] Reliqui exercitus deſcriptio, vt modò dictum eſt, cuius numerus verſ.16. reliquus apparatus verſ.17. exponitur.

Verſ.18,19.

Ab his tribus] Effectus vt in verſ.14. diximus; eſtque duplex: vnus, quòd ad barbaras illas & immanes gentes attinet, fecerunt quod illis imperatum erat à Domino, id eſt, tertiam partem hominum (puta incredulorum) occiderunt verſ.18. cuius ratio ſequitur verſ.19. quia ſimiles ſint amphisbænis. Alter effectus reſpicit verbi Dei contemptores, nempe duas reliquas partes hominum, id eſt, eos quibus etiam in his plagis parcitum eſt. Voluit enim Deus his ferulis eos ad meliorem frugem reducere, ſed obfirmati in impietate ſua permanent verſ.20,21. Quamobrem nihil illis reſtat niſi horrenda quædam exſpectatio iudicij, & ignis feruor, quo cruciatu ſummo perituri ſunt in æternum.

ANALYSIS. Cap. 10. & 11.



- .10.& 11. vers.14. ...tinent ...nuntiati...em iudi...orum, & ...nsolatio...m fideli...h: quæ ...æ partes
  - 1. Typicè proponuntur figura Angeli, qui
    - 1. Communiter descriptus est, cap.10, vers.1.
    - 2. Adumbrat seorsim
      - 1. Instaurationem rerum typo libelli, quem manu tenet, priori hemistichio, vers.2.
      - 2. Iudicia vel damnationem impœnitentium, significata
        - 1. Pedibus, quorum
          - Dextrum imponit mari
          - Sinistrum imponit terræ
          - } posteriori parte, v. 2
        - 2. Voce, rugiens vt leo, priori parte, vers. 3.
  - 2. Exponuntur, nempe
    - 1. Iudicia, quorum expositio
      - 1. Tacita, vers.3,4. Nam tonitrua, i. Angeli narrant Ioanni posteriori parte vers.3. tum rationem pedum Christi positorum in terra & in mari: tum quid dixerit Christus quando clamauit sicut leo: sed eum vetant vers.4. scribere huius rei mysterium.
      - 2. Aperta, sed imperfecta, hic Angeli
        - 1 Gestus, vt iurantis, vers 5.6.
        - 2. Iuramentum, vers.6,7,8.
    - 2. Instauratio
      - 1. Euangelij, cap.10.8.
        - 1. Typicè
          - 1. Angelus iubet Ioannem accipere libellum è manu Christi, vers.8.
          - 2 Ioannes obtemperat, vers.9,10.
        - 2. Apertè, vers.11.
      - 2. Ecclesiæ cap.11
        - 1. Typicè
          - Calamus datur Ioanni, vers.1.
          - Vsus calami ostenditur, nempe, vt
            - Metiatur eo templum, vers 1.
            - Excludat atrium, vers.2.
        - 2. Apertè, ministerio scilicet duorum prophetarum, quorum
          - 1. Vita describitur ex
            - Officio
              - 1. Apertè, prophetabunt amicti sacco diebus 1260. cap.11.3.
              - 2. Typicè, sunt illi, quorum munus olim figuratũ erat Zach.4. duobus candelabris & duabus oleis, ver.4
            - Potestate
              - 1. Ipsi lædi non possunt ab alijs, v.5
              - 2. Terram lædere possunt, vers.6.
          - 2. Mors, cuius
            - 1. Efficiens, est bestia infernalis, vers. 7.
            - 2. Sequela
              - 1 Cadauera eorum insepulta iacent, vers.8,9.
              - 2. Lætitia impiorum, vers.10.
          - 3. Resurrectio, cuius
            - 1. Summa priori parte, vers.11.
            - 2. Effectus
              - 1. Terror impijs, in fine vers.11.
              - 2. Declaratio beatitudinis illorum prophetarum, vers.12.
              - 3 Ruina decimæ partis ciuitatis, vers.13.
              - 4 Resipiscentia & fides piorum, vers.13.

Cap. 10.

1 TVm vidi alium Angelum fortem descendẽtem de cœlo, amictũ
nube: in cuius capite erat iris: facies autem eius erat vt sol, &
pedes eius vt columna ignea.
2 Habebatq́; in manu sua libellum apertum: & posuit pedem su-
um dextrum super mare, sinistrum autem super terram.
3 Clamauitque voce magna sicut leo rugit: & quum clamasset,
loquuta sunt septem tonitrua voces suas.
4 Et quum loquuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scrip-
turus eram: sed audiui vocem de cœlo dicentem mihi, Obsigna quæ lo-
quuta sunt septem tonitrua, & ne ea scribas.
5 Et Angelus quem vidi stantem super mare & super terram,
sustulit manum suam ad cœlum.
6 Et iurauit per eum qui viuit in secula seculorum, qui creauit
cœlum & ea quæ sunt in eo, & terram & ea quæ in ea sunt, & mare
& ea quæ in eo sunt, tempus non fore amplius.
7 Sed in diebus vocis septimi Angeli, quum cœperit clangere, con-
summandum esse mysterium Dei sicut annuntiauit seruis suis Pro-
phetis.
8 Et vox quam audieram è cœlo, rursum loquuta est mecum, &
dixit, Abi, & accipe libellum illum apertum qui est in manu Angeli
stantis super mare & super terram.
9 Abij igitur ad Angelum, dicens ei vt daret mihi libellum. Et
dixit mihi, Accipe, & deuora eum: & amaritudinem adferet ventri
tuo, sed in ore tuo erit dulcis tanquam mel.
10 Accepi igitur libellum è manu Angeli, & deuoraui eum: e-
ratque in ore meo dulcis tanquam mel: sed quum deuorassem eum,
amarauit venter meus.
11 Tum dixit mihi, Oportet te iterum prophetare coràm populis,
gentibus, linguis, & regibus multis.

Annotatio.

Quæ gesta sunt per longam mille annorum seriem à vers. 12. capitis sexti ad hunc vsque locum accepimus: succedit tertium iam tempus, nempe restitutionis Euangelij in hac mundi senecta vt suprà initio cap. 6. adnotauimus. Etsi autem de momento ipsoque

Tertium tempus.

Instauratio euangelij anno Christi 1320.

temporis articulo non habeo quod liquidò mihi constet: tamen inceptam fuisse restaurationem istam hoc capite & sequente ad vers. 14. commemoratam, post annum Christi 1300. & ante annum 1400. omnibus pijs compertissimum esse iudico, qui historiam Ecclesiæ animis vnquam lustrarunt. Nam vt à diebus Constantini magni doctrina paulatim corrupta tandem in hæresim desinit, & disciplina in luxum; locustæque pseudocatholicæ Ecclesiæ Romanæ, in perniciem Christianæ religionis natæ, quasi noctē quandam Euangelio offuderunt vsque ad hæc ipsa tempora: ita ab hoc tempore, nempe ab anno Christi 1300. vel 1320. sensim creuit in dies veritas, vt cæcus sit oportet qui hodie solem iustitiæ non aspiciat. Porro post annum 1300. nonnulla restitutionis Euangelij, & ruinæ tyrannidis Romanæ præsagia extiterunt. Nam Clemens quintus, Pontifex Romanus Româ desertâ cathedram papalem transtulit in Galliam, Aueniomque sedit, vbi successores eius mansere annos 74. vt inquit Volaterranus, ita fuerunt ex hoc tempore semper duo Papæ. Incidit hæc Romanæ aulæ in Galliam translatio, in annum salutis millesimum trecensimum quintum, vt inquit Sabellicus Ennead. 9. lib. 7. quo in loco sic etiam loquitur: *Fuit illa Pontificum absentia, cùm cæteræ Italiæ, tum Romanæ ciuitati, suprà quam dici possit calamitosa.* Post obitum Clementis sedes pestilentiæ biennij spatio ob patrum discordiam vacauit, vt idem Volaterranus author est. Sabellicus Ennead. 9. lib. 8. narrat sub Clemente sexto, qui sellæ impositus fuit anno 1342. ingenti terræmotu, qui durauit dies ferè quindecim, multa corruisse ædificia, & mulieres grauidas fecisse abortum, item fœdissimâ pestilētiâ, quam Inguinariam dixere, tot homines perijsse, vt ex omni languentium numero vix centesimus quisq; mortem euaserit. Eodem tempore, vt idem author est, ingens cometa per quatuor menses in cœlo obseruatus est, ac biēnio post trabalis species ignea aperto cœlo cucurrit, & flamma ingens post occasum solis inter Zephyrum & austrū, magnum trahens incendium, terribili sonitu ad terram deprimi visa est. Præterea intra spatium annorum 152. septem fundatæ sunt scholæ publicæ, Pragæ, Croatiæ, Coloniæ, Erfordiæ, Viennæ, Lipsiæ, & S. Andreæ in Scotia; ex quibus, vt etiam ex alijs tāquam ex equo troiano, prodierunt innumeri viri pietate & eruditione præstantes, qui tubâ Euangelij muros Romanos, vt olim sacerdotes leuitici Ierechuntinos Iosuæ cap. 6. deiecerunt, ac tenebris dissipa-

Præsagia instaurationis euangelij.

Translatio curię romanæ in Galliam.

Terræmotus.

Pestis.

Cometa.

Scholæ publicæ fundatæ.

Instauratores euangelij.

tis quasi iubare ardēte Ecclesiam illustrarunt. Quales inprimis erāt Marsilius ille Patauinus defensor pacis Ecclesiæ, qui anno 1324. vt est in Paralipomenis Abbatis Vrspergensis, defendit Ludouicum Bauarum contra Ioannem 22. Papam Romanum, insigni libro edito: & Ioannes Wiclefus Anglus anno 1350. Guilielmus Occam, Arnaldus de villa noua, Ioannes item Hussius, qui anno 1390. Euangelium cœpit prædicare, & Hieronymus Pragensis, cum multis alijs quorum nomina habentur in Paralipomenis Vrspergensis Abbatis. Græcas literas in Italiam reduxit Chrysoloras quidam Bizantius anno Christi 1398. quum quinque & amplius ætates iniquitate temporum exulassent, vt tradit Sabellicus Ennead. 9. lib. 9. Quid illius ætatis viri pietate & doctrina insignes effecerint, patet tum aliàs, tum præsertim ex cōcilio Francofordiense congregato anno 1338. vt est apud Auentinum lib 7. Annalium Boiorum, & in Paralipomenis Abbatis; & Pisano conuocato anno 1409. Sabellicus Ennead. 9. lib. 9. & Basiliense anno Christi 1433. in quibus Papam concilio subiectum esse planè docuerunt & decreuerunt. In concilio Constantiensi anno 1414. Ioannes Hussius & Hieronymus Pragensis veritatem sanguine obsignarunt, & plurima ibidem maximaque negotia pro gloria Domini, pro publica vtilitate & honestate poterant agi, inquiunt Paralipomena Abbatis, *Si pueris caro Ecclesiasticorum potuisset ferre salem euangelicum.* Denique anno Christi 1440. Ioannes Faustus ciuis Mogontinus, vt author est Auentinus lib. 7. annal. Boior. vel Ioannes Guttenberg. Argentoratensis, vt tradunt Wympfelingius rerum Germanar. epitome cap. 65. Paralipomena Vrsperg. & Sabellicus Ennæad. 10. lib. 6. artem typographicam cœlitus reuelatam inuenit, quæ præclaram suppeditauit occasionem fidelibus seruis Christi ad regnum Pontificium diruendum.

Græcæ literæ.

Concilio ū decreta cōtra papatū.

Ars typographica.

Vers. 1.

Tum vidi] Quæ gesta gerendaue sunt in Ecclesia à prima Euangelij restitutione, quam intra annos 1300. & 1400. inchoatam modò diximus, vsque ad finem seculi, summatim narrantur & paucis hoc decimo capite & tredecim primis versiculis capitis vndecimi. Huius tractationis partes sunt in vniuersum duæ: prior est denuntiatio grauissimorum iudiciorum vel potius æternæ condemnationis contra impœnitentes illos (de quibus cap. 9. vers. 20, 21.) quasi per transitionem interposita septem primis versibus huius capitis:

Distributio.

Iudicia cōtra impœnitentes.

capitis: posterior est cõsolatio fidelium ex restauratione rerum post tot exantlatas calamitates vers. 8. & sequentibus ad vers. 14. capitis vndecimi. Sed pars vtraque duobus modis tractatur: primùm typicâ figurâ; deinde manifesta expositione, quod memoria tenendũ est, quia non summa tantum genera, sed singulæ ferè partes eodem modo exponuntur. Nam duo illa summa capita, quæ diximus, puta denuntiatio iudiciorum, & consolatio fidelium, primùm typicè proponuntur tribus primis versibus; deinde vberiùs exponuntur vers. 4. & sequentibus. Proponuntur autem sub figura Angeli, qui primò descriptus est communiter vers. 1. secundò, prædicta duo summa capita adumbrat vers. 2. &c.

Propositio.

Tum vidi] Hanc Angeli descriptionem dixi communem, quia vtrique generi, videlicet iudiciorum & consolationis æquè competit. *Angelum*] Nempe Christum, vide suprà cap. 1. 15, 16.

Vers. 2, 3.

Habebat] Typicè adumbrantur & significantur duo illa summa capita, iudiciorum scilicet & consolationis, duobus his versiculis, vt in vers. 1. dictum est. Nam libellus apertus in manu Christi designat restitutionem Euangelij, vt infrà patet quatuor postremis versibus huius capitis. Deinde quòd pedem dextrum ponit super mare, sinistrum autem super terram; & quod clamat sicut leo rugiens; significatur Christum Dominum esse terræ ac maris, potentiáque tantâ præditum, vt hostes debellet suósque liberet.

Vers. 4.

Expositio.

Et quũ loquuta fuissent] Iudicia Dei cõtra hostes suos, & consolatio fidelium typis ac figuris erant significata tribus primis versiculis: nunc sequitur vtriusque expositio distincta, ac iudiciorum quidem versibus quatuor, consolationis autem fidelium vers. 8. & sequentibus ad finem capitis. Iudiciorum expositio duplex est: prior tacita & occulta hoc versu, posterior aperta licet imperfecta vers. 5, 6, 7.

Loquuta fuissent septem tonitrua] Id est, quum Angeli, ministri Christi vt Ioanni significent futura, (Apoc. 1. 1.) quorum voces sunt instar tonitrui (Apoc. 6. 1. & 19. 6.) exposuissent tres primos versiculos, id est, quid figuratum & significatum fuit per Angelum illũ fortem de cœlo descendentẽ, & præcipuè per pedes eius, qui erãt vt

columnæ igneæ, & ponebantur alter super mare, alter super terram, & per magnum clamorem similem rugienti leoni; quum, inquam, Angeli exposuissent ista, quod attinet ad iudicia eius, Ioannes scripturus erat id quod ab Angelis expositum fuit. Sic enim mandauerat ei Dominus suprà cap.1.vers.11. Sed dum scripturus erat, ecce, vox è cœlo intonans iubet obsignare quæ nunc audierat, nō autem scribere vt Dan.8.26. & 12.4. Quamuis igitur hæc Ioanni erant exposita, tamen non sunt reuelanda. Itaque hanc priorem antecedentium typorum expositionem tacitam dico & occultam. Angeli metonymicè dicuntur tonitrua ab effectis, quia tonitrua proferunt dum loquitur Deus.

Vers.5,6,7.

Et Angelus] Altera iudiciorum expositio, vt in vers.4. diximus, quæ aperta quidem est, sed imperfecta quia ecliptica est oratio. Summa est, vt circunstantias prætermittam, tempus non fore amplius, in fine vers.6. & in diebus septimi Angeli (de quo cap.11.14.) consummandum esse mysterium Dei. Quum dicit, *tempus non fore amplius*, est aposiopesis, quæ in pathetica oratione passim occurrit. Aliquid enim deest ad plenam orationem efficiendam. Dicit autem tempus non fore amplius, subaudi concessum impœnitentibus illis, de quibus cap.9.20,21. vide Ezech.36.7. Quum enim duabus partibus hominum pepercerat Deus, & tertiam partem solummodo perdidisset, voluit ea benignitate ducere ipsos ad resipiscentiam. Sed quoniam tolerantiam & lenitatem Dei contēnunt, & admonitiones omnes ludificantur, iurat hîc Christus, tempus non fore amplius concessum illis ad resipiscentiam, sed Angelo septimo buccinante, consummandum esse mysterium Dei, id est, impœnitentes istos damnandos à facie Domini & à glorioso ipsius robore; fideles verò in cœlum recipiendos, sicut annuntiauit seruis suis prophetis. Quoniam igitur insanabiles sunt isti contemptores lenitatis Dei, non mirum quòd Ioannes iussus erat vers.4. obsignare quæ septem tonitrua loquuta sunt. Sic Esaiæ 8.16. Vt inter sextum & septimum sigillum interponeretur obsignatio electorum cap.7. ita inter sextam & septimam tubam interponitur instauratio ministerij Euangelij hoc loco.

Vers.8.

Et vox] Succedit expositio consolationis fidelium per rerum postliminio instaurationem in Ecclesia, vt in vers.1. & 4. dictum est.

Hæc instauratio duplex est: vna Euangelij & doctrinæ, reliquo hoc capite; altera Ecclesiæ & disciplinæ tredecim primis versibus capitis vndecimi. Instauratio Euangelij exponitur primùm typicè tribus versibus, deinde apertè vers. 8. Typo autem libelli informatur Ioannes de Euangelio iterum prædicando, vt Ezechiel cap. 3. 1, 2. vel cap. 2. 11, 12. de suo munere. Quo tempore cœpit instauratio ista, dictum est initio huius capitis, nempe inter annum 1300. & 1400.

Instauratio euangelij.

Cap. 11.

1 *Datus est autem mihi calamus similis virgæ: adstititque Angelus, dicens, Surge, & metire templum Dei & altare, & eos qui adorant in eo.*

2 *Sed atrium quod extra templum est exclude, & ne metiaris illud: nam datum est Gentibus: & Vrbem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.*

3 *Sed Dabo* illam *duobus testibus meis, qui prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.*

4 *Hi sunt duæ illæ oleæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ posita.*

5 *Quòd siquis velit eis nocere, ignis prodit ex ore ipsorum, qui deuoret inimicos eorum: nam siquis velit eis nocere, ita oportet eum occidi.*

6 *Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga quotiescunque voluerint.*

7 *Porrò quum finierint suum testimonium, bestia ascendens ex abysso, geret aduersus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos.*

8 *Et cadauera eorum iacebunt in plateis vrbis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus: vbi & Dominus noster crucifixus est.*

9 *Et videbunt* homines *ex tribubus & populis & linguis & Gentibus cadauera eorum per tres dies & dimidium, & cadauera eorum non sinent poni in monumentis.*

10 *Et incolæ terræ gaudebunt super illis, & lætabuntur: & munera mittent alij alijs, quòd hi duo Prophetæ cruciarint terræ incolas.*

11 *Sed post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à Deo* prodiens *ingredietur in illos: stabuntque* erecti *in pedes suos, & timor magnus cadet super eos qui ipsos spectarunt.*

12 *Deinde audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem ipsis, Ascendite huc. Ascenderúntque in cœlum per nubem: & viderunt illos inimici eorum.*

13 *Factúsque est in illa hora terræmotus magnus, & decima pars vrbis cecidit, & occisa sunt in terræmotu capita hominum septies mille: & reliqui territi sunt, & dederunt gloriam Deo cœli.*

14 *Væ secundum abiit, & ecce væ tertium veniet citò.*

15 *Septimus igitur Angelus clanxit, & factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes, Facta sunt regna mundi,* regna *Domini nostri, & Christi eius, qui regnabit in sæculo sæculorum.*

16 *Tum viginti quatuor illi Senes qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, prociderunt in facies suas, & adorarunt Deum,*

17 *Dicentes, gratias agimus tibi Domine, Deus omnipotens, Qui es, Qui eras, & qui venturus es; quod adeptus sis potestatem tuam magnam, & regnum inieris:*

18 *Et iratæ sunt Gentes, & aduenit ira tua: & tempus mortuorum, vt iudicentur: & des præmium seruis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, paruis & magnis: & perdas eos qui perdunt terram.*

16 *Tunc apertum est templum Dei in cælo, & visa est Arca fœderis eius in templo eius: & facta sunt fulgura & voces, & tonitrua & terræmotus, & grando magna.*

Annotatio.

Datus est] Post instaurationem Euangelij, sequitur iam Ecclesiæ reformatio, vt suprà in cap. 10. 8. ostendimus. Reformatio Ecclesiæ primùm typicè proponitur duobus primis versibus; deinde apertè exponitur vers. 3. & sequentibus. In typica reformatione Ecclesiæ, qua alludit ad ceremonialem cultum qui viguit sub lege, primùm datur Ioanni calamus seu pertica; deinde ostenditur vsus eiusdem. Quemadmodum instauratio rerum post redditum è captiuitate Babylonica Iudæis prænuntiata fuit Ezech. 36. & 37. ita Christus hoc loco figuris & typis legalibus adumbrauit instaurationem

Instauratio Ecclesiæ.

onem ministerij ad Ecclesiam ipsius post spiritualem captiuitatem sub Antichristo Romano & in Babylone apocalyptica peruenturam. Sicut Zacharias cap. 2. in rem præsentem venit: ita Ioannes Wiclefus, Marsilius Patauinus, & alij eius ætatis fidelissimi serui ac ministri Iesu Christi, de quibus diximus initio capitis decimi, anno millesimo post Constantinum magnum instaurationem istam inchorunt. Sed Wiclefus doctrinam cap. 10. 8. Hussius verò disciplinam hoc capite instaurauit.

Templum significat sanctam ecclesiam. Altare significat purum Dei cultum.

Templum Dei] Id est, sanctam Catholicam Ecclesiam 2. Cor. 6. 16. Ephes. 2 19. 20. 21. 22. & 1. Tim. 3. 15. & Heb. 3. 6. *Et altare*] Id est, purum & legitimum cultum Dei, 1. Cor. 9. 13. & 10. 18. & Heb. 7. 13. *Eos qui adorant in eo*] Id est, singulos fideles, qui facti sunt reges & sacerdotes Deo & Patri suo Apoc. 1. 6. ad offerendũ spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christũ 1. Pet. 2. 5.

Vers. 2.

Atrii nomine intelliguntur hypocritæ.

Sed atrium quod extra templum est] Id est, hypocritas, qui sanctitatem simulant quum sint impurissimi canes. Duplex autem lectio quæ in diuersis codicibus reperitur, nihil detrahit sensui, vtrramcũq; sequamur. Nam Salomon extructo Templo gloriosissimo duo adiunxit atria; vnum populi, alterũ sacerdotum, vt videre licet 1. Reg. 7. 12 & 2. Reg. 21. 5. & 23. 12. & 2. Chro. 4. 9. Illud atrium quod populo erat destinatũ, appellatur magnũ aut maximũ, fuitque exterius, id est, remotius à Templo respectu alterius atrii. At verò atrium sacerdotũ propinquius erat Templo, & ideò dicitur interius 1. Reg. 6. 36. Vtrumq; exttra Templũ erat. Quum igitur veri adoratores, ingrediuntur Templum Heb. 4. 16. ibiq; Patrem spiritu ac veritate adorant; hypocritæ verò foras stant in atrio (siue exteriori & remotiore, siue interiori & propinquiori parum refert) & superbo Ecclesiæ titulo sese falsò venditant; mandatum accipit Ioannes metiendi Templũ & altare, & eos qui adorant in Templo; atq; foras eijciendi atrium tam exterius quàm interius, id est, eos qui thrasonicè crocitant & crepant se Ecclesiam esse catholicã nec errare posse. Vt verò vtranque lectionem retineamus, per exterius atrium, intellige Romanæ Ecclesiæ numerosam multitudinem; & per atrium interius, clerum Papisticum, nempe Pontificem ipsum Pessimum Maximum, Monachos, Iesuitas, Franciscanos & eiusmodi greges, qui vi perrumpentes in ouile Christi polluerunt Tem-

Atrium papisticum eijciendum foras.

plum Dei, vt pij lugentes meritò decantent Psal. 79. ô Deus, ingressæ sunt gentes in possessionem tuam, polluerunt Templum sanctitatis tuæ, &c.

ὅτι ἐδόθη, *nam datum fuit Gentibus*] Ratio cur atrium sit excludendum non autem metiendum, videlicet, quia datum fuit per annos mille Gentibus, id est, profanis Gentibus & impurissimis quibuscunque hominibus semper patuit, profanatumque fuit ibi nomen meum egregiè & sceleratè, atque idcirco ne metiaris, noli reædificare, aut vllam eius curam habere, sed exclude & eijce forás. Quòd autem synagoga Romana, quæ sola Ecclesia dici voluit, libidine, fornicationibus, & stupris fœtuit, luxurie diffluit, & crapulâ fuit distenta, omnes loquuntur historiæ. Notum est omnibus vitam Romanæ curiæ extitisse impurissimam, mores corruptissimos, & doctrinam prorsus diabolicam, iuxta vaticinium Pauli 1. Tim. 4. 1, 2, &c.

καὶ τὴν πόλιν, *Igitur vrbem sanctam calcabunt* (nempe gentes) *mensibus quadraginta duobus*] Hæc verba optimè, vt mea fert opinio, cohærent cum superioribus hoc modo. Age Ioannes, surge, metire templum, id est, veram, sanctam, catholicam Ecclesiam Dei; atrium verò, id est, hypocriticam Ecclesiam Romanam noli metiri, sed eijce foras. Nam patuit iam diu profanis gentibus, nomenque meum ibi pollutum fuit. Itaque nunc etiam conculcabitur à gentibus mensibus quadraginta duobus. Sed & alter sensus, quem plerique omnes afferunt, optimè fluit. Noli metiri atrium, quia illud ego dedi gentibus, & conculcabunt illæ vrbem sanctam mensibus quadraginta duobus. Vter sensus magis genuinus dijudicent alij. Prior mihi magis placet.

Vrbem sanctam] Si hæc verba cohæreant cum superioribus eo, quo diximus, modo; tum loco horum verborum, vrbem sanctam, ponendum fuisset relatiuum, illud, nempe atrium; vel ipsum antecedens, scilicet atrium, fuisset relatiui loco repetendum sic: igitur calcabunt gentes illud, scilicet atrium mensibus quadraginta duobus. Sin hic noua inchoatur res, tum per vrbem sanctam intelligere debemus sanctam Catholicam Ecclesiam. q.d. Noli metiri atrium, quia datur profanis gentibus. Porro calcabũt etiam gentes sanctam Ecclesiam Dei mensibus quadraginta duobus. Quid maximè eligendum, ego me nescire ingenuè fateor. Facilius enim est in omni re, quid non sit, quàm quid sit dicere. Vtraque expositio admitti &

Vrbis sanctæ nomine intelligitur papistica synagoga Romana.

ex historijs confirmari potest. Nam ex quo facta est restauratio hæc ministerij Euangelij, tum papatus fuerit spretus & conculcatus vt hodiè vix spiritum ducere sentias; tum grauissimam afflictionem passa est sancta Ecclesia Christi ab antiquo illo dracone, qui hoc tēpore solutus vinculis, quibus ad annos mille cōstrictus fuerat omnia funestauit, per Europam præsertim vbi ferè peregrinatur Ecclesia, & innumeras martyrum strages edidit, vt infrà dicetur cap. 20.2.&c. Veruntamen quia scopus est Spiritus sancti hoc in loco, sanctæ Ecclesiæ Dei instaurationem potiùs quàm afflictionē prædicere, vt & pseudocatholicæ curiæ Romanæ excommunicationem typo atrij eiecti & præteriti figurare, per vrbem sanctam, quæ mensibus 42. conculcanda est, synagogam Romanam potiùs intelligi & adumbrari existimo. Quòd autem cacolica & Papistica Ecclesia Romana appellatur vrbs sancta, papicolas nihil omnino iuuat. Nam vt Hierusalem dicitur vrbs sancta etiam tum, cum sceleratissima fuerit latronum, parricidarum, & idololatrarum spelunca Matth. 4.5. & 27.53. non quòd tum sancta fuit, sed quòd olim fuerat, & quod communiter populari sermone ita nuncuparetur: eodem modo hypocritica, immunda, & pseudocatholica Ecclesia Romana, vrbs sancta dicitur (manifesta enim est allusio ad legales typos) non quòd ita sit, sed quòd ita vulgo dicebatur, ita haberi voluit, & ita olim fuerat. Et hæc vrbs sancta, vt mea fert coniectura, dicitur vrbs magna infrà vers. 11. huius capitis, & cap. 16.19. & 17.18. & 18.10.

Menses 42. denotant annos 294.

Mensibus quadraginta duobus] Si menses isti definitum tempus significant, tum vel totidem numerantur, qui triennium ferè cum dimidio conficiunt, quæ sententia omnium minimè opinabilis videtur: vel per sabbatha annorum supputandi sunt, & efficiunt annos ducentos nonaginta quatuor, quæ ratio mihi videtur valde probabilis. Sin autem indefinitè sumantur, tum designant exiguum illud tempus, quo Satan solutus vagatur Apoc. 20.3. De initio istorum mensium 42. statuere non est difficile. Tum enim incipiunt, quando Deus Templum metiri, Ecclesiam sanctam instaurare, & atrium papisticum excludere cœpit. Ab eo tempore si enumerabimus annos ducentos nonaginta quatuor, constabit finem quoque iam instare vel adesse. Menses istos per sabbatha annorum potissimùm supputandos reor, quoniam infrà cap. 13.5. ita omnino eosdem numerare est necesse.

Verſ. 3.

καὶ δώσω, *nam dabo*] Ad plenam conſtructionem vel deeſt aliquid, vel aliter interpretanda ſunt verba, quàm vulgò ſolent. Defectus iſto modo ſuppleatur: Surge, Ioãnes, metire Templum Dei, & altare, & eos qui adorant in eo verſ. 1. nam dabo (ſcilicet illud Templum, vt vir longè doctiſſimus & Eccleſiæ Chriſti vtiliſſimus D. Franciſcus Iunius in hũc locum præclarè obſeruauit, vel prouinciam hanc metiendi Templum, & altare, & eos qui adorant in Templo) duobus teſtibus meis. Sin alia quærenda ſit expoſitio, tum quod deeſſe videtur, ſuppletur in verbo ſequenti hoc modo: nam dabo duobus illis teſtibus meis, καὶ προφητεύσουσι, vt prophetent, & prophetijs ſuis metiantur Templum, &c. Sed hæc de grammatica interpretatione ſatis.

Nam dabo] Reformationis Eccleſiæ typicè verſ. 1. figuratæ, ſequitur nunc aperta & plena expoſitio, vt ſuprà in verſ. 1. obſeruatum fuit. Narrat autem inſtaurationem iſtam Eccleſiæ efficiendam miniſterio duorum prophetarum, quorum deſcribit vitam quatuor verſibus vſque ad verſ. 7. mortem quatuor ſequentibus verſiculis, puta 7, 8, 9, 10. & reſurrectionem tribus verſibus, nempe 11, 12, 13. Vitam eorum deſcribit primùm ex officio verſ. 3, 4. deinde ex poteſtate illis data verſ. 5, 6. Reformatio eccleſię poſt annũ 1320.

Duobus illis teſtibus meis] Duo hi teſtes ſunt illi prædicatores verbi, qui poſt annum milleſimum trecenteſimum cœperunt maiori cum poteſtate & authoritate faciem Eccleſiæ renouare. Quales fuerunt inprimis Ioannes Huſſius & Hieronymus Pragenſis. Duo iſti teſtes ſunt prædicatores illius temporis.

Duobus] Duo eſſe dicuntur, quia pauci erant, & quia duorum teſtimonio veritas confirmaretur, & quia ſibi mutuo opem ferre opus habebant. Itaque Chriſtus etiam diſcipulos miſit binos & binos. *Prophetabunt*] Id eſt, Euangelium prædicabunt & Eccleſias colligent. *Diebus* 1260.] De hoc numero nihil certi habeo quod ſtatuam. Iſtos tamen duos teſtes prophetias ſuas finire anno 1414. quando Ioannes Huſſius & Hieronymus Pragenſis in conciliabulo Conſtantienſi combuſti ſunt, omnes, qui propiùs ad rem attenderint, animaduerſuros arbitramur. Amplector itaque veriſſimamque iudico ſententiam ſancti illius viri Dei, D. Ioannis Foxi, qui dies iſtos 1260. refert ad concilium Conſtantienſe, quod durauit abſolutè totidem dies, id eſt, annos tres & dimidium. *Amicti ſaccis*] Non ſerico, vt Romanenſes præſules ſunt ſericati. Quare duo teſtes eſſe dicuntur. Dies 1260. ſignificant ſpatium triũ annorum & dimidij, & tempus durationis concilij Conſtantienſis.

Verſ. 4.

Verſ. 4.

Laus duorum teſtiũ.

Metaphorica deſcriptio teſtium.

Hi ſunt dua illa olea] Alludit ad caput quartum Zachariæ, vnde petenda eſt huius loci expoſitio. Senſus eſt, horum duorum teſtium miniſterio Eccleſiam per ſe obſcuram illuſtrari & collucere. Miniſtri enim verbi tanquam candelabra ſuſtinent lucernam verbi, quo diriguntur fideles ambulantes in tenebris huius mundi. Item miniſtri verbi ſimiles ſunt oleis, quia prædicatione Euangelij oleum, id eſt, gratia Spiritus ſancti infunditur in animos fidelium, vt perpetuò luceant. Denique hac deſcriptione duorum iſtorum prophetarum, indicatur id quod habetur Zach. 4. 6. nempe inſtaurationem Eccleſiæ factam eſſe non virtute neque vi humana, ſed Spiritu meo, ait Iehoua exercituum.

Verſ. 5, 6.

Duorum teſtium poteſtas.

Quòd ſi quis] Nunc vitam iſtorum teſtium deſcribit ex poteſtate, quam illis dedit Dominus, vt in verſ. 3. dictum eſt, nempe, quòd nemo eis nocere poteſt verſ. 5. ipſi autem alios lædere poſſunt verſ. 6. Vide Ierem. 5. 14.

Verſ. 7.

Mors duorum teſtiũ.

Porro quum finierunt] Hactenus de vita & prophetia teſtium, ſequitur mors eorum, vt ſuprà ad verſ. 3. obſeruatum eſt. Mors narratur hoc verſu, quid verò ſequebatur poſt mortem eorum, exponitur verſ. 8, 9. Hoc autem verſu narrantur hæc tria. 1. quando mortui ſunt, ſcilicet quum finierint teſtimonium ſuum, id eſt, in conciliabulo Conſtantienſi, anno 1415. 2. quis eos trucidauit, nempe beſtia illa aſcendens ex abyſſo, id eſt, pontifex Romanus qui habet claues abyſſi ſuprà cap. 9. 1. 3. quo genere mortis migrant ex hoc mundo, nempe violento non naturali, occiduntur enim ab hoſtibus.

Verſ. 8, 9, 10.

Crudelitas papiſtarum in cadauera duorum teſtium.

Et cadauera] Duo mortem eorum ſequuntur, videlicet feralis immanitas in eorum cadauera verſ. 8, 9. & lætitia hoſtium verſ. 10. Barbara eſt crudelitas in cadauera mortuorum deſæuire, ita tamen factum fuiſſe ſatis idoneus teſtis eſt Æneas Syluius, qui hiſtoriæ Bohemicæ cap. 36. ſcriptum reliquit, cineres Ioannis Huſſij & Hieronymi Pragenſis, qui Conſtantiæ combuſti ſunt, in lacum proiectos fuiſſe, ne raperentur à Bohemis. Diſcipuli autem eorum, quum nec oſſa nec cineres eorum colligere liceret, terram ex eo ſolo

ſolo abſtulere, in quo ignis fuit, eamque ſecum attulerunt in patriam.

Vrbis magnæ] Id eſt, Romæ, de qua Ouidius metamorph. lib. 15. *Quanta nec eſt, nec erit, nec viſa prioribus annis.* Atque ne dubitemus quam potiſſimùm vrbem intelligit, tribus notis inſignitur. Primùm ſpiritualiter vocatur Sodoma propter impuram & impudicam fœditatem, vt quæ mundum innumerabilibus pæderaſtijs impleuit, quod ſatis ille nouit, qui hoc diſticho vrbi magnæ valedixit.

Romana ſynagoga appellatur Sodoma & AEgypta.

Roma vale: vidi: ſatis eſt vidiſſe: reuertar,
Quum leno, meretrix, ſcurra, cynædus ero.

Deinde vocatur AEgyptus propter crudelitatẽ in ſanctos, quos infeſtauit & trucidauit. Denique dicitur vrbs magna vbi Dominus noſter crucifixus eſt. Ea verò eſt vrbs Roma. Nam Chriſtus prædicens mortem ſuam, dixit, filius hominis tradetur gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conſpuetur: & poſtquam eum flagellauerint, trucidabunt Luc. 18.32. Quum prehenſus & accuſatus fuit Chriſtus, Pilatus dixit Iudæis: accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram condemnate eum. Sed Iudæi reſponderunt ei, *Nobis non licet occidere quenquam*, Ioan. 18.31. Itaque Chriſtus crucifixus eſt ſub ditione & imperio Romano, ſub Pontio Pilato iudice Romano, & legibus Romanis. Sedes vero imperij, & iuriſdictionis Romanæ eſt vrbs ipſa Roma, quæ infrà cap. 17. verſ. 18. dicitur vrbs magna.

Per tres dies & dimidium] Id eſt, per tres annos & dimidium, vt Num. 14.34. & Ezech. 4.6. Nam conciliabulum Conſtantienſe, in quo Ioannes Huſsius & Hieronymus Pragenſis accuſati, condemnati, combuſti, & conculcati fuerunt, per tres annos & ſex menſes perdurauit.

Verſ. 11.

Sed poſt dies] Vitam duorum teſtium, itemque mortem eorum vidimus: ſequitur reſuſcitatio eorum, cuius ſumma hoc verſu declaratur, effectus autem duobus ſequentibus.

Reſuſcitatio duorum teſtium.

Poſt tres dies & dimidium] Id eſt, poſt concilium Conſtantienſe quod triennium totum & ſex menſes durauit, reuixit veritas Euangelij, quæ condemnata fuerat in Ioanne Huſsio & Hieronymo Pragenſi, & frequentiſſimæ congregantur Eccleſiæ per Germaniam, vt author locuples eſt AEneas Syluius hiſtoriæ Bohemicæ

cap.36. vbi Ioannem Præmonstratensem veritatis Euangelicæ prædicatorem appellat ipse Papista & postea Pontifex pseudosacerdotem. Eandem doctrinam prædicauit Ioannes Rochezana, quem Ioannes Capistranus Minorita ad gremium Romanæ synagogæ reducere sæpè tentauit, vt est in Paralipomenis Abbatis Vispergensis. Wympfelingius inuidiâ macrescens quòd Hussitarum doctrina (vt is papista inuidiosè appellat) tantum quotidie inualesceret, causam ascribit ignauiæ Wenceslai regis, cap.46. epitomes rerum Germanicarum. Quemadmodum Elias reuixit in Ioanne Baptista Luc.1.17. Matth.11.14. iuxta vaticinium Malachiæ cap.4. vers.5. ita Ioannes Hussius & Hieronymus Pragensis rediuiui fuerunt in his & in alijs fidelibus ministris Iesu Christi ad hunc vsque diem, & adhuc viuunt victurique sunt quandiu sol & luna erunt. Nam in ipso concilio Constantiensi, & apud AEneam Syluium cap.35. videre licet, eandem tum ab illis duobus testibus prædicatam fuisse doctrinam, quam hodie Dei gratia prædicamus palam.

Resuscitati testes magnum incutiunt timorem papistis

Timor magnus cadet] Etsi numerosa multitudine crescentium in dies singulos Ecclesiarum sanctarum, postquam duo illi testes Templum Dei metiri cœpissent, perculsa fuit pseudocatholica Ecclesia Romana, atrij nomine suprà vers.2. figurata: summum tamen terrorem incutiebat Vappæ Romanæ & papicolis omnibus, nobilis ille vir Hussitarum propugnator fortissimus Ianus de Trosenavu, quem Zischam vel Ziscum, id est, cæcum, quòd luscus foret, nuncupant, vt est apud AEneam Syluium, & in Paralipomenis Abbatis ex Epitaphio eius patet. Hîc autem vers.12. inchoarem. Atque ita quatuor sunt effectus, qui testium duorum resurrectionem sequuntur: primus, terror inimicorum his verbis: secundus, felicitas duorum testium, verbis sequentibus: tertius, ruina vrbis: quartus, resipiscentia fidelium vers.13.

Vers.12.

Deinde audierunt] Subaudi hostes & interfectores prophetarum. *Vocem magnam*] Nempe verbum Dei, quòd resuscitati prophetæ isti prædicarunt, & quo testificabantur Ioannem Hussium & Hieronymum Pragensem veritatem Euangelicam prædicasse, atque nunc in cælum receptos esse. Posteriorum enim prophetarum testimonio confirmatur doctrina priorum testium.

Vers.13.

Verſ.13.

Factuſque eſt in illa hora] Id eſt, illo tempore inſtaurationis Eccleſiæ. Hora enim paſſim vſurpatur pro tempore, vt Marc. 13. 11. Ioan.16.2. & 1.Ioan.2.18.

Terræ-motus magnus] Id eſt, magna rerum mutatio. Quum enim Imperator ipſe, reges, ac populi in ſuſpenſo erant, atque de religione ambigerent, quænam potiſſimum amplectenda erat, ecce, veritate per reſuſcitatos iſtos teſtes, ac præſertim per Lutherum & alios eum ſequentes quotidie magis magiſque patefacta & illuſtrata, qui priùs ſuperſtitioni addicerentur, eidem prorſus renuntiant, euangeliumque Ieſu Chriſti amplectuntur, & ita magna facta eſt mutatio per totam ferè Europam. Quando teſtes illi reſuſcitarentur, magna facta ſunt religionis mutatio in Europa.

Decima pars Vrbis cecidit] Id eſt, Anglia, Scotia, Gallia, Germania, Belgia, Bohemia, Polonia, Heluia, Saxonia, Sueuia, & multæ ciuitates, ab Antichriſto illo Romano defecerunt, quo fit, vt Vrbis illius magnæ ac ſedis apoſtaticæ imminuta & attenuata ſit potentia, tyrannis, ac maieſtas. Magna hominũ multitudo eodẽ tempore defecit à papatu.

Occiſa ſunt, in terræ-motu capita hominum ſepties mille] Id eſt, magna edita eſt ſtrages, non carnalis & corporum, ſed ſpiritualis & animarum, idque armis ſpiritualibus, non carnalibus. Sicut enim non decima pars murorum & ædificiorum vrbis cecidit, ſed decima pars ditionis, potentiæ, & opum: ita ſepties mille hominum capita occiſa ſunt, id eſt, confutantur, hæreſium conuincantur, & reuera ſpirituali gladio, nempe verbo Dei interfecti ſunt. Cædes ſpiritualis papiſtarum.

Reliqui territi ſunt, & dederunt gloriam Deo cœli] Id eſt, qui gratiâ Dei liberantur à terræ-motu illo, non ſunt vt impœnitentes, illæ duæ partes hominum, de quibus cap.9.20,21. ſed abrenuntiant papiſmo, ac veritatem recipiunt, qua ſalui fiant, vt infrà patet cap.18. verſ.9. & ſequentibus ad cap.20.

Verſ.14.

Væ ſecundum abijt] Tranſitio à ſexta tuba ad ſeptimam, & à tertio tempore ad quartum & vltimum, vt initio cap.6. diximus.

Verſ.15.

Finis ſeculi
- 1. Preſens iudicium bis iudicatur
  - 1. Breuiùs, verſ.15.
  - 2. Fuſiùs verſ.16. Seniores 24.
    - 1. Adorant Deum, verſ.16.
    - 2. Gratias agunt quòd
      - 1. Chriſtus deuicerit hoſtes ſuos, verſ.17.
      - 2. Aduenerit tempus iudicij, verſ.18.
      - 3. Chriſtus ſit
        - Præmium bonis daturus, verſ.18.
        - Perditurus improbos.
- 2. Sequens gaudium ex
  - 1. Conſpectu & præſentia Arcæ Dei, priori parte, verſ.19.
  - 2. Perpetua celebratione Dei, poſteriori parte verſ.19.

Verſ.15.

Tempus quartum & poſtremum huius mundi.

Septimus igitur Angelus clanxit] Ex quatuor temporibus, in quæ priorem prophetiam Eccleſiæ militantis diuiſimus ſuprà initio cap.6. hoc poſtremum eſt, continetque finem ſeculi, vt ibi dictum eſt. Finis autem ſeculi declaratio duplex eſt reliquo hoc capite. Nam primùm narratur præſens iudicium quatuor verſibus; deinde, ſequens gaudium verſ.19. Præſens iudicium bis indicatur & à duobus Angelorum ordinibus: primò quidam Angeli dicunt, diem iudicij veniſſe verſ.15. ſecundò, viginti quatuor ſeniores per modum actionis gratiarum idem pluribus enarrant verſ.16,17,18.

Finis ſeculi.

Septimus igitur Angelus] Nempe Archangelus ille, qui clangore tubæ Dei æthera mugire faciet, & coget omnes coram Chriſto. *Facta ſunt voces magnæ in cœlo*] Id eſt, celeuſma ingens aliorum Angelorum.

Facta ſunt regna mundi, [regna] Domini noſtri] Id eſt, Chriſtus, qui Eccleſiâ ſuâ in mundo militante, hactenus ſemper dominatus eſt

est in medio inimicorum suorum (Psal. 110.2.) iam subactis hostibus vniuersis, abolitoque imperio omni, traditurus est regnum Deo ac Patri, vt Deus sit omnia in omnibus 1. Cor. 15.24,28.

Vers 16,17,18.


Tum viginti quatuor Seniores] Id est, Angeli alij, vt suprà in cap. 4.4. adnotauimus. Hi primùm adorant Deum vers. 16. deinde gratias Deo agunt priori parte vers. 17. propter tres causas: primò quòd Christus deuicit & subiugauit omnes hostes suos, aboleuitque omne imperium, & omnem potentiam, & virtutem posteriori parte vers. 17. Secundò, quòd aduenit tempus omnium mortuorum, id est, dies iudicij, priori parte vers. 18. Tertiò, quòd Christus iam tandem iudicaturus est, ac præmium daturus seruis suis, media parte vers. 18. perditurus verò improbos, postrema parte vers. 18.

Vers. 19.

Tunc apertum est] Sequitur gaudium quo fruituri sunt electi post iudicium mundi, vt suprà in vers. 15. diximus. Duobus autem modis declaratur: primùm ex præsentia, conspectu, & fruitione Tabernaculi & Arcæ Dei in cœlo, priori hemistichio. Ita quoque figuratur beatitudo cœlestis in fine secundæ prophetiæ cap. 21.3. Secundò ex perpetua celebratione Dei & psalmodia, posteriori hemistichio. Nam fulgura hæc, voces, & tonitrua, nihil sunt aliud, quàm voces Angelorum sanctorum celebrantium Deum.

Gaudium electorum in cœlo.

ANALYSIS secundæ prophetiæ.



- Secunda prophetia duplex est
  - 1. à Christo nato ad nostra tempora. Huius duo sunt loci
    - 1. Prophetia quæ continet duo tempora,
      - 1. à Christo nato ad restitutionem circa annũ 1320. estque duplex, nẽpe fidelium
        - 1. Afflictio continua, sed tribus tẽporibus distincta
          - 1. à Christo nato ad Neronem, id est, ad annum 66 cap. 12.
          - 2. à Nerone ad Constantinũm magnum, id est, ab anno 66. ad annum 320. decẽ primis versibus cap. 13.
          - 3. à Papa reuelato anno 606. ad restitutionem anno 1320 factam, cap. 13. vers. 11. & sequentibus ad finem capitis.
        - 2. Professio, cap. 14. vers. 1, 2, 3, 4, 5.
      - 2. à restitutione facta anno 1320 ad hãc vsque diem, Hoc spatio, tria simul fiunt, re non tẽpore distincta,
        - 1. Restitutio euangelij cap. 14. vers. 6, 7.
        - 2. Ruina Babylonis cap. 14. 8.
          - Hîc inseritur doctrina triplex de
            - 1. Vitanda idololatria, cap. 14. 9, 10, 11.
            - 2. Tolerantia sanctorũ, cap. 14. 12.
            - 3. Fœlicitate martyrũ, cap. 14. 13.
        - 3. Iudicia Dei, in
          - 1. Persequutores cap. 14. 14. Huius iudicij descriptio ex
            - Typo duplici
              - Messis, vers. 14, 15, 16.
              - Vindemiæ vers. 17, 18, 19.
            - Magnitudine cladis vers. 20.
          - 2 In papistas incredulos, Huius iudicij
            - 1. Præparatio cap. 15.
            - 2. Exsequutio cap. 16.
    - 2. Expositio triplex,
      - 1. Bestiæ duæ cap. 13. descriptæ, exponuntur cap. 17.
      - 2. Ruina Babylonis cap. 14. 8. & cap. 15. & cap. 16. prædicta, exponitur cap 18 & cap 19. ad vers. 11.
      - 3. Iudicia Dei cap 14. 14. & cap. 16. vers. 17. Contra hostes Ecclesiæ denuntiata, iterantur & enarrantur cap. 19. vers. 11. & sequentibus ad finem capitis.
  - 2. à restitutione Euangelij anno 1320. ad finem seculi, cap 20. Huius capitis partes sunt duæ
    - 1. Prophetia rerum in Ecclesia gestarum illo temporis spatio, decem primis versibus.
    - 2. Descriptio finis seculi, vers. 11. & sequentibus ad finem capitis.

Cap. 12.

1 *Visum est autem signum magnum in cœlo: Mulier aderat a-
micta sole, sub cuius pedibus erat luna: & in capite corona
stellarum duodecim:*
2 *Et prægnans clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret.*
3 *Item, visum est aliud signũ in cœlo, nam ecce* adfuit *draco mag-
nus rufus, habens capita septem & cornua decem: & in capitibus suis
diademata septem.*
4 *Cuius cauda trahebat tertiam partem stellarum cœli, quas ab-
iecit in terram: stetit autem is draco ante mulierem pariturum, vt
quum peperisset, filium eius deuoraret.*
5 *Peperit autem filium masculum, recturum omnes gentes virga
ferrea: & raptus est filius eius ad Deum &* ad *thronum eius.*
6 *Mulier verò fugit in solitudinem, vbi habet locum paratum à
Deo, vt illìc pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.*
7 *Et factum est prælium in cœlo: Michael & Angeli eius præ-
liabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius:*
8 *Sed non obtinuerunt, neque locus eorum amplius inuentus est in
cœlo.*
9 *Et proiectus est draco ille magnus, serpens ille antiquus, qui vo-
catur Diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem: pro-
iectus,* inquam, *est in terram, & Angeli eius cum eo proiecti sunt.*
10 *Et audiui vocem magnam dicentem in cœlo, Nunc facta est
salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia
deiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante
conspectum Dei nostri die ac nocte.*
11 *Sed ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter ser-
monem testimonij sui: & animæ suæ prodigi fuerunt vsque ad mor-
tem.*
12 *Propterea lætamini cœli & qui habitatis in eis. Væ incolis
terræ & maris: nam descendit Diabolus ad vos, ira magna plenus,
vt qui sciat se paululum temporis habere.*
13 *Quum igitur vidisset draco se proiectum esse in terram, per-
sequutus est mulierem quæ pepererat masculum.*
14 *Sed datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volet à con-
spectu serpentis in desertum, in locum suum, vbi alitur per tempus &
tempora, & dimidium temporis.*

15 *Eiecit autem serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, vt eam faceret rapi à flumine:*

16 *Sed succurrit terra mulieri, aperuitque terra os suum, & absorbuit flumen quod eiecerat draco ex ore suo.*

17 *Iratus est igitur draco aduersus mulierem: & abijt vt gereret bellum cum reliquis ex semine eius, obseruantibus mandata Dei, & habentibus testimonium Iesu Christi.*

18 *Stetítque super arenam maris.*


Annotatio.

Secunda prophetia de Ecclesia militante. Distributio generalis totius huius secundæ prophetiæ.

Priorem prophetiam militantis Ecclesiæ præteruecti, accedimus nunc ad secundam, sicut diximus suprà in cap. 6.1. Hæc autem secunda prophetia duplex est: prior historiam continet à Christo nato ad hanc vsque diem octo capitibus, nempe ab hoc loco vsque ad cap. 20. posterior historiam paucis complectitur rerum gerendarũ ab anno Christi 1320. (quo restitutionem Euangelij incœptam suprà sæpius diximus, veluti initio cap. 10. & cap. 11.) ad finem vsque seculi, capite vecesimo. Prioris prophetiæ duo sunt loci: primo loco ponitur ipsa prophetia quinque capitibus: posteriori sequitur eiusdem prophetiæ, aut saltem quarundam partium eius expositio, tribus capitibus sequentibus, scilicet cap. 17. & 18. & 19. Prophetia ipsa, (quæ vniuersè complectitur historiam Ecclesiæ à nato Christo ad hoc nostrum seculum, vt modò dictum est) in sua tempora, nẽpe in duo distinguitur. Primùm enim res in Ecclesia gestas enarrat à Christo nato ad restitutionem Euangelij incœptam circiter annum Christi 1320. ab initio huius capitis ad cap. 14.6. deinde progreditur à cap. 14.6. ad cap. 17. enarrans quid factum fuerit à restitutione Euangelij, vel ab anno 1320. ad hanc vsque diem. Quod attinet ad primum tempus, nempe mille trecentorum & viginti primorum annorum post natum Christum, duo in vniuersum declarantur; videlicet fidelium continua afflictio capitibus duobus, nempe duodecimo & decimo tertio, & eorum constans professio quinque primis versibus capitis decimi quarti. Perpetua fidelium afflictio tribus distinctis temporibus notatur. Primùm à Christo nato vsque ad Neronem per annos sexaginta eoque ampliùs cap. 12. Hanc calamitatem Ecclesiæ intulerunt præsertim Iudæi. Secundò, à Nerone ad Constantinum magnum, quasi annos 254. aut fortassis diutiùs multò cap. 13. vers. 1. & sequentibus ad vers. 11. Istam persecutionem

mouerunt Imperatores Romani martyrocidæ. Tertiò, Pontifices ipsi Romani minas contra fideles seruos Christi spirarunt ferè mille annos cap.13. vers.11. & sequentibus ad finem capitis. Atque hæc est secundæ istius prophetiæ periocha.

Analysis. Cap.12.



Vers.1.

Deinde visum est signum magnum] Hoc caput continet afflictionem Ecclesiæ per annos sexaginta, à natiuitate Christi ad primam illarum decem persecutionum, quam excitauit Nero, vt modò dictum est. Hæc autem afflictio tribus distinctis temporibus apertè declaratur. Prima afflictio contigit tempore natiuitatis Christi sex primis versibus. Secunda tempore prædicationis Christi vers.7. & sequentibus

Afflictio ecclesiæ à Christo nato ad Neronem.

sequentibus ad vers.13. Tertia accidit post ascensum Christi in cœlum vers.13.& sequentibus ad finem capitis. Prima afflictio describitur sub typo mulieris prægnantis parturientisque, & draconis rufi obseruantis mulierem vt partum eius deuoret. Considerandum igitur ante partum, quid mulier vers.1,2.& quid draco vers.3.4. Post parthum, quo modo tum partus in lucem editus, tum mulier conseruentur ac liberentur è potestate draconis vers.5.6.

De tempore natiuitatis Christi.

Mulier] Id est, Ecclesia Iudæorum. Nam corpus vel totum aliquod appellatur mulier, veluti corpus improborum Iudæorum Zachar.5.7.& cacolicæ synagogæ Romanæ Apoc.17.3. Item corpus fidelium seruorum Christi sub typo mulieris figuratur Zachar.5.9. Porro Ecclesia non solum mulier aliquando vocatur, sed etiam mater passim in scriptura, vt duo illi peritissimi artifices in Tabernaculo Domini, D.Immanuel Tremellius & D.Franciscus Iunius, pulchrè obseruarunt annot.in Cant.7.6.

Mulier parturiens significat Ecclesiā præsertim Iudæorum.

Amicta sole, sub cuius pedibus erat luna] q. d. pulcherrima, splendissima, ornatissima, vt Cant.6 7. *Quæ est illa spectata velut aurora, pulchra vt luna, pura vt sol.* Vide Ephes.5.27.

Vers.2.

Ἐν γαστρὶ ἔχουσα, *in ventre habens*] Subaudi fœtum seu infantem, id est, prægnans. Hæc mulier fide concepit Gen.3.15.ex quo tempore grauida facta vterum ferebat vsque ad annum mundi 3963. ad annum 41.vel 42.Imperij Augusti Cæsaris. Toto hoc temporis interuallo Ecclesia Iudæorum quasi parturiens expectabat Messiam, qui etiam dicitur expectatio Gentium, Esai.2.2.& 42.4,6.

Clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret] Id est, quando venit plenum tempus vt Deus emitteret filium suum, quem Maria virgo, illæsâ virginitate concepit per singularem operationem Spiritus Sancti, citra alicuius viri cooperationem, Ecclesia Iudæorum quasi enitendo cruciabatur vt pareret Christum, sicut mulieres parturientes distringuntur doloribus partus.

Vers.3.

Draco magnus rufus] Id est, diabolus, vt infrà vers.9.declaratur. *Capita septem*] Id est, multos nocendi modos, multáque instrumēta, quæ ei militant aduersus Ecclesiam. *Cornua decem*] Id est, magnam potestatem in reprobos sancta voluntate & iusto iudicio Dei, Ephes.

Draco significat diabolum.

Ephes.2.2. *Diademata septem*] Id est, magnam authoritatem, vt ipse quidem iactat Matth.4.9. sed turpiter mentiendo. Et quidem princeps huius mundi, id est, impiorum in mundo dicitur Ioan.12. 11. quia permissu & iusto iudicio Dei tyrannidem in eos exercet. Ephes.2.2.

Vers.4.

Tertiam partem stellarum cœli] Id est, bonam partem sacerdotum, scribarum, pharisæorum, & seniorum populi, adulatoria seductione, traditionibus, ceremonijs, & hypocrisi abiecit in terrenas curas & cogitationes. *Stetit*] Id est, occasiones omnes obseruabat, intentusque erat vt Christum perderet. Nam per Herodem conatus est Christum nuper natum occidere, regiamque dignitatem abolere quando Bethleemiticos pueros bimulos interfecit Matth.2.16. quando Synedrion, id est, delectum concilium ex posteris Dauidis deleuit, quia in eo quædam regiæ dignitatis imago reliqua erat, Ioseph. antiquitat. lib.14.cap.17. & quando generum descriptiones exussit, quas ad id vsque tempus in Archiuis diligenter conseruassent Iudæi, Euseb.lib.1.cap.7.histor.eccles. Insidiæ diaboli.

Vers.5.

Peperit] Subaudi Ecclesia Iudæorum, vt Cant.7.9. secundum Tremell.& Iunium, vel cap.8.5. secundum alios. Quemadmodum enim alij è naturalibus parentibus orti, dicuntur nihilominus filij Ecclesiæ Esaiæ 66.8. ita Christus quoque est filius Ecclesiæ, atque frater fidelium Heb.2.11. etsi natus sit ex Maria virgine. *Filium masculum*] Hoc est, Iesum Christum.

Sed raptus est Filius] Hactenus de insidijs draconis: sequitur conseruatio vtriusque scilicet matris Ecclesiæ, & Christi filij. Filius raptus est ad Deum & ad Thronum eius reliquo hoc versu (nisi quis malit hîc vers.6.inchoare) hoc est, Deus eius patrocinium suscepit, vt tueatur contra rabiem draconis. Sicut fideles proteguntur à calamitatibus, eo quòd sint ante Thronum Dei suprà cap.7. vers.9. & 15. ita hîc Christus rapitur ad Thronum Dei, id est, in tuto collocatur: fugit enim in AEgyptum Matth.2.13. Non enim hæc verba intelligenda sunt de ascensu eius in cœlum, sed de protectione à natiuitate ad baptismum, vel saltem ad mortem Herodis, qui pueruli vitam quærebat. Conseruatio Christi & Ecclesiæ.

Verſ.6.

Mulier etiam fugit] Sicut Deus obſtitit conatibus Cambyſis, ne gentem Iudæorum nuper è Babylone reuerſam funditus euerteret Dan.10.13. ita hic Eccleſiæ ſuæ conſulit ne tota pereat in illa perſecutione grauiſſima excitata ab Herode Matth.2. Furori enim draconis, & inſtrumenti eius Herodis, nequaquam fuiſſet ſatisfactum internecione puerorum Bethleemiticorum & Synedrij iudaici, niſi diuina prouidentia ſæuitiam cohibuiſſet. *Vt illic eam paſcat diebus 1260.*] Dies 1260. faciunt tres annos & dimidium, denotantque tempus quo durauit perſecutio Herodiana. Quare non malè huic loco quadrat, quod obſeruauit Epiphanius ſub finem lib.1. tom.1. & hæreſ.51. contra alogos, cui etiam non refragatur doctiſſimus Beroaldus lib.4 cap.1. Chron. nempe Magos veniſſe Hieruſalem anno Herodis triceſimo quarto, & Herodem mortuum eſſe anno triceſimo ſeptimo, ſcilicet ex quo à Senatu Rex Iudææ declaratus eſt. Hieroſolymis enim regnauit tantum annis triginta quatuor, Ioſeph. antiquit. lib.17. cap.10.

Dies 1260. ſignificant tres annos & dimidiũ, nempe tẽpus quo durauit Herodiana perſecutio.

Verſ.7.

Poſtea factum eſt prælium in cœlo] Secundum tempus afflictionis vt ſuprà in verſ.1. dictum eſt. Quomodo tartareus draco puerulo in cunis vagienti inſidiatus ſit, accepimus: nunc puer adultus, & ad maturam virilemque ætatem prouectus, ſcilicet annum triceſimum incipientem Luc.3.23. adoritur draconem ipſum, & omnes inferorum portas expugnat. Prælium in cœlo commiſſum dicitur iuxta viſionem Ioãni oblatam. ſuprà in fine verſ.5. Alioquin Chriſtus hic in terris congreſſus eſt cum diabolo & miniſtris eius. Continet itaque hæc ſecunda pars capitis hiſtoriam trium annorum & dimidij, id eſt, dimidium poſterius ſeptuageſimæ ſeptimanæ Danielis cap.9.24. quo temporis ſpatio Chriſtus Mediatoris officium impleuit in terris. Tria hic narrantur, prælium verſ.7. victoria verſ.8,9. & epinicium verſ.10.&c.

Tempus prædicationis Chriſti.

Præliatur Chriſtus prædicatione Euangelij contra diabolum & inferorũ portas.

Michaël] Id eſt, Filius ille maſculus, quem peperit mulier ſuprà verſ.5. nempe Ieſus Chriſtus. Nam ſolus Chriſtus eſt qui vicit diabolum, & laus huius victoriæ aſcribitur ſanguini Agni infrà verſ.11. *Et Angeli eius*] Angeli qui ſub Michaële militarunt, ſunt inprimis Angeli qui miniſtrarunt Chriſto Mat.4.11. item duocecim

cim Apostoli & septuaginta discipuli, tum cæteri fideles. *Draco*] Scilicet diabolus. *Et Angeli eius*] Id est, cacodæmones omnes, item Principes sacerdotum, Scribæ, Pharisæi, seniores populi, Herodes Antipas, Pilatus, milites, & quicunque Christo aduersabantur. *Præliabantur*] Cœpit istud prælium statim post baptismum Christi, quando diabolus tentauit eum Matth. 4. durauit totum triennium cum dimidio, à decimo quarto die mensis septimi, anni decimi quinti regni Tiberij, vsque ad decimum quartum diem mensis primi, anni decimi octaui Imperij Tiberij, quando Christus in crucem actus est, vel potiùs ad diem decimum sextum, quo resurrexit à mortuis, & victoriam reportauit ascendens in cœlum, & captiuam ducens captiuitatem Ephes. 4. 8. Coloss. 2. 15.

Vers. 8.

Sed non prævaluerunt] Subaudi draco & angeli eius. Hic enim versus ostendit victoriam, vt in proximum versum diximus, scilicet quòd Christus morte & resurrectione sua vicit, fudit atque profligauit diabolum cum omnibus eius copijs, & paucis post diebus cælum nube quasi curru triumphali conscendens, captiuam duxit captiuitatem, & dona dedit militibus suis.

Christi victoria in sua persona.

Vers. 9.

Et proiectus est] Inclinare cœperunt vires diaboli à primo inde congressu Matth. 4. & valde erant debilitatæ cùm ad prædicationē septuaginta discipulorum dixit Christus Luc. 10. 18. se videre Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem, sed Christo à mortuis resurgente, planè deuictus fuit diabolus.

Diabolus vincitur.

Vers. 10.

Tum audiui vocem] Epinicium seu triumphale carmen, vt in vers. 7. diximus, quo primùm prædicatur potestas Christi vers. 10. Secundò salus fidelium ascribitur sanguini Agni vers. 11. Tertiò hortantur fideles ad iubilum vers. 12. Continua oppositio cœli & terræ distinguit inter Ecclesiam Dei & prosanas gētes. *Nunc facta est salus*] Vt Matth. 28. 18. Data est mihi omnis authoritas in cœlo & in terra.

Epinicium.

Verſ.11.

Salus fidelium aſcribitur ſanguini Agni.

Sed ipſi vicerunt] Hic verſus primùm oſtendit quòd fideles vicerunt diabolum, deinde tres cauſas huius victoriæ, quarum prima præcipua & principalis eſt ſanguis Agni, duæ reliquæ ſunt inſtrumentales, niſi quis inter effecta numerare malit, nempe confeſſio teſtimonij ſui quod dederunt de Chriſto, & martyrium.

Verſ.12.

Propterea] Exhortatio ad lætitiam vt in verſ.10. dictum eſt. *Væ incolis terræ & maris*] Id eſt, reprobis qui terreſtria curant Philip. 3.19. Videtur autem conſultò nominare terram & mare, quia mox declaraturus eſt imperatores Romanos è mari aſcendentes cap. 13.1. & pontifices Romanos peſſimos maximos terræ filios cap. 13.11.

Paululum temporis habere] Nempe tempus illud ab aſcenſu Chriſti in cœlum vſque ad Conſtantinum magnum, quod eſt quaſi annorum 280. vel 290. Difficile enim eſt ſtatuere quo die aut qua hora Conſtantinus pacem reddidit Eccleſiæ, quum id ſenſim & pluribus annis præſtitit, neque vbiuis loci eodem tempore. Certum eſt enim Satanam diebus Conſtantini magni ligatum fuiſſe ad mille annos, non quòd nihil potuit, aut nihil egit interea, nam Romanos præſules toto illo ſpatio occupauit, & eorum opera vſus eſt contra Eccleſiam Chriſti, ſed quòd poſtea gentes tanto furore non dementauit, vt ſanctos palam ferro & igne perſequerentur.

Verſ.13.

Tempus primitiuæ & nouellæ Eccleſiæ. Primum certamen Eccleſię nouellæ contra diabolū.

Quum igitur vidiſſet] Tertium tempus afflictionis, ſcilicet ab aſcenſu Chriſti vſque ad Neronem, vt ſuprà in verſ.1. diximus. Continet hiſtoriam perſecutionis primitiuæ & nouellæ Eccleſiæ in terra Iudæorum primùm, tum alijs in locis, vt habetur in Actis Apoſtolorum. Draco autem bis mulierem adoritur: primò verſibus duobus, ſecundò verſ.15,16.

Perſequutus eſt mulierem] In Iudæa & miniſterio Iudæorum, vt videre licet Act.4.1. & 5.17. & 6.9. & ſequentibus ad finem capitis ſeptimi.

Verſ.14.

Verſ.14.

Sed data ſunt mulieri] Fuga iſta, ſi quis detur coniecturæ locus, mihi eadem eſſe videtur, quam commemorauit Lucas Act.8.1. Orta eſt verò per id tempus perſequutio magna aduerſus Eccleſiam quæ erat Hieroſolymis & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apoſtolos.

Eccleſia fugit.

Vbi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis] Id eſt, per tres annos & dimidium, vt omnes vno ore interpretantur. Ita enim tempus alibi in ſcriptura deſignat annum; tempora, annos; & dimidium temporis, dimidium anni, vt colligitur ex Dan.4.16. & 11.13. & 12.7. Sic accipitur eadem loquutio Dan.7.25. Huius vaticinij accommodatio optimè conuenire videtur poſtremis annis Tiberij Cæſaris, qui acceptis Pilati literis de prædicatione, miraculis, morte, & reſurrectione Chriſti, non modo rem retulit ad Senatum cum prærogatiua ſuffragij ſui, vt Chriſtus agnoſceretur Deus, verum etiam renuente Senatu in ſententia permanſit, & edicto publico comminatus eſt periculum accuſatoribus Chriſtianorum, vt author eſt Tertullianus apolog.cap.5. Atque hac cœleſti prouidentia Euangelium propagatur diebus Tiberij per orbem vniuerſum.

Verſ.15.

Deinde eiecit] Secundum certamen draconis aduerſus Eccleſiam, vt in verſ.13. dictum eſt. Summa eſt, quum per Iudæos incredulos, & in terra Iudææ diabolus nequiret nouellam Eccleſiam opprimere, quin fuga tanquam alis euaſit è manibus eius, præſertim adiuta edicto Tiberij; aliâ eam viâ aggreditur, atque aliorum operâ vtitur, inprimis verò Herodis Agrippæ filij Ariſtobuli & nepotis Herodis Aſcalonitæ. Hic enim diebus Caligulæ vel Claudij interemit Iacobum fratrem Ioannis gladio, & Petrum coniecit in vincula Act.12.2,4. Porrò vbique contra Eccleſiam excitauit hoſtes, veluti Antiochiæ quæ eſt in Piſidia Act.13.45. Iconij Act.14.2,4,5. Lyſtræ Act 14.19. Antiochiæ quæ eſt in Syria Act.15.1,2. Philippis Act.16.19,20,21,22,&c. Theſſalonicæ Act.17.5. Berœæ Act.17.13. Corinthi Act.18.12. Epheſi. Act.19.22. & alibi.

Secundum certamen Eccleſiæ contra diabolum.

Verſ.16.

Verſ.16.

Inopinata Eccleſiæ liberatio.

Succurrit autem terra] Id eſt, Deus multis modis & infinitâ ſuâ prouidentia conatus diaboli fruſtrauit, & idoneo tempore ſuppetias tulit Eccleſiæ, vt locis actorum prænotatis apparet. Quandoque enim homines terreni, mundani & prophani opem tulerunt ſanctis, vt dicitur de Lyſia Act.21.31.& 22.24.& 23.22,26. de Felice Act. 23.35.& Act.24.23. de Feſto Act.25.& de Agrippa Act.26.28.

Verſ.17,18.

Deo Eccleſiam liberante furit diabolus.


Iratus eſt igitur draco] His duobus verſiculis tranſitur à primo afflictionis tempore ad ſecundum, q.d. quum draco conatus ſuos in perſequenda muliere bis irritos fieri videret, irâ ebulliens & deſperans de propoſito, abijt vt bellum gereret cum reliquijs ex eius ſemine, id eſt, cum Eccleſijs Gentium vbique locorum iam plantatis ab Apoſtolis.

Conatus diaboli cõtra Eccleſiã.

Stetitque ſuper arenam maris] Id eſt, vt procella vehementiſſima incubuit toto mundo (cuius eſt princeps) in commouendos fluctus, & exacerbandas gentes, quæ inſanis ſuis fluctibus Eccleſiam Chriſti inter gentes, piaque membra illius exagitaret, procelleret, perderetque vt inquit D. Franciſ. Iunius.

ANALYSIS.

ANALYSIS. Cap. 13.



Cap. 13.

1 *TVm vidi bestiam è mari ascendentem, quæ habebat capita sep-
tem & cornua decem: & imposita cornibus eius decem diade-
mata, & impositum capitibus eius nomen blasphemiæ.*
2 *Erátque hæc bestia quam vidi, similis pardo, & pedes eius vt
pedes vrsi, & os eius vt os leonis, dedit autem ei draco virtutem suam,
& thronum suum, & potestatem magnam.*
3 *Et vidi vnum ex capitibus eius quasi lethaliter cæsum: sed ip-
sius plaga lethalis curata est: & admirans vniuersa terra sequuta est
bestiam.*
4 *Et adorarunt draconem qui dedit potestatem bestiæ: & adora-
runt bestiam dicentes, Quis similis bestiæ? quis poterit pugnare cum
ea?*
5 *Datúmque est ei os loquens magna & blasphemias: & data est
ei potestas agendi menses quadraginta duos.*
6 *Aperuit igitur os suum ad blasphemiam aduersus Deum, vt
conuiciis afficeret nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in
cælo habitant.*
7 *Sed & datum est ei bellum gerere cum Sanctis, & eos vincere:
& data est ei potestas in omnem tribum, & linguam, & Gentem.*
8 *Itaque adorabunt eam omnes incolæ terræ, quorum non sunt
scripta nomina in libro vitæ Agni illius mactati,* iam inde *à iactis
mundi fundamentis.*
9 *Siquis habet aurem, audiat.*
10 *Siquis in captiuitatem abducit, in captiuitatem abibit: siquis
gladio occiderit, oportet eum gladio occîdi. hic est patientia & fides
sanctorum.*
11 *Deinde vidi aliam bestiam ascendentem è terra, habentem
cornua duo similia Agni: sed loquebatur vt draco.*
12 *Ea verò potestatem prioris bestiæ omnem exercet in conspectu
eius: & facit vt terra & ipsius incolæ adorent bestiam illam primam,
cuius curata fuerat plaga lethalis.*
13 *Editque signa magna, adeò vt etiam ignem faciat è cælo de-
scendere in terram in conspectu hominum.*
14 *Et seducit incolas terræ, propter signa quæ datum est ei vt fa-
ciat*

ciat in conspectu bestiæ: dicens incolis terræ vt faciant imaginem bestiæ, quæ gladio vulnerata fuit, sed reuixit.

15 *Datúmque est ei vt animaret imaginem bestiæ, vt etiam loquatur imago bestiæ, & faciat vt quicunque non adorarint imaginem bestiæ, occidantur.*

16 *Sed & faciat vt omnes, parui & magni, diuites & pauperes, liberi & serui, accipiant characterem in manu sua dextra, aut in frontibus suis.*

17 *Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habeat characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.*

18 *Hîc sapientia est. Qui intelligentia præditus est, computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est: & numerus eius, sexcenta sexaginta sex.*

Annotatio.

Tum vidi bestiam] Secundum tempus afflictionis quam intulerunt Imperatores Romani decem illis maximis persequutionibus à Nerone ad Constantinum magnum, vt suprà initio capitis duodecimi dictum est. Continetur autem decem primis versiculis huius capitis. Constat partibus duabus: descriptione bestiæ octo primis versibus, & epiphonemate vers. 9, 10. Descriptio bestiæ duplex est: primò, ex natura sua vers. 1, 2, 3, 4. Secundò, ex circumscriptione Dei vers. 5, 6, 7, 8. Natura bestiæ quatuor modis describitur: primò ex forma vers. 1. secundò ex qualitatibus, vers. 2. tertiò è signo quodam vers. 3. postremò ex effectis sequuturis vers. 4. Vt Leo ex vnguibus, ita hæc bestia notis istis internoscatur.

Afflictio ecclesiæ à Nerone ad Constantinum magnum.

Bestiam è mari ascendentem] Diabolus tandem è mari procelloso, cui incubuit cap. 12. 18. excitauit belluam, imò monstrum horrendum, sæuum, & deforme ad mulieris semen ferro & flamma persequendum. Hoc autem fatale monstrum est Romanum imperium, vt sequens descriptio docebit. Hostes autem Ecclesiæ bestiæ sæpe appellantur, vt Psal. 22. 13, 17. Dan. 7. 3. &c. propter feralem crudelitatem in persequendis sanctis. Iustinus historicus lib. 38. ait Romæ conditores lupæ vberibus alitos fuisse, & sic omnem illum populum luporum animos habere, inexplebiles sanguinis atque imperij, diuitiarumque auidos ac ieiunos.

Romanum imperium est instrumentum diaboli aduersus ecclesiam Christi.

Quæ habebat capita septem] Monstrosissimæ belluæ descriptio prima hæc est ex forma, quòd capita habet septē, quibus singulis inscribitur

forma bestiæ.

ſcribitur nomen blaſphemiæ: & decem cornua, quibus totidem imponuntur diademata verſ.1.

Septem capita ſignificant montes ſeptem.

Capita ſeptem] Septem capita primùm ſeptem montes ſunt; deinde ſeptem reges ſunt, vt in expoſitione patet infrà cap.17.9,10. Septem capita ſunt ſeptem montes ſuper quos beſtia ſeu mulier ſedet. Ex omnibus per orbem terrarum vrbibus, ſola Roma, ſedes imperij, ſuper montes ſeptem condita eſt. Propertius poëta in Vmbria natus, hoc modo ſcripſit de Roma:

Septem vrbs alta iugis, toto quæ præſidet orbi.

Virgilius Mantuanus lib.2.Georgic. ſic loquitur:

Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septem quæ vna ſibi muro circundedit arces.

Et Æneid.lib.6.ſic.

En huius, gnate, auſpicijs illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque vna ſibi muro circundedit arces.

M.T.Cicero non modo ciuis Romanus, & Oratorum eloquentiſſimus, ſed etiam in vrbe Conſul optimus, in oratione ſecūda, quam ad populum habuit de lege agraria contra Rullum Tribunum plebis, his verbis Romam ſuperbæ Capuæ opponit: *Romam in montibus poſitam, & conuallibus, cœnaculis ſublatam atque ſuſpenſam, præ ſua Capua planiſſimo in loco explicata, irridebunt atque contemnent,* ſcilicet Campani ſuperbi. Idem Cicero epiſtolarum ad Atticum lib.6.epiſt.5. Romam ſepticollem appellat his verbis: *Hoc tu indaga vt ſoles: Aſt hoc magis* ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου τειχῶν παρέδωκεν ἡμῶν γάμου ὀφειλήματα ὁ Κάμιλλος, hoc eſt, *è ſepticollis vrbis* (id eſt, Romæ) *mœnibus tradidit noſtri coniugij debita Camillus.* Tertullianus vetus pater, & antiquitatis indagator diligentiſſimus, ait cap.35. Apologetici: "*Ipſos Quirites, ipſam vernaculam ſeptem collium plebem conuenio, an alicui Cæſari ſuo parcat illa lingua Romana.* Hieronymus, vt adhortaretur Marcellam fœminam nobiliſſimam, vt relictâ Româ, vbi tum commorabatur, ad ſe veniret rus Bethleemiticum, duabus eam ſolicitat epiſtolis, vnâ ſuo, alterâ Paulæ & Euſtochij nomine ſcriptis, & vtraque in epiſtola, hac ad perſuadendum ratione vtitur: *Et hic puto locus* (Bethleemiticus ſcilicet) *ſanctior eſt Tarpeia rupe* (eſt autem rupes Tarpeia editior pars mōtis Capitolini, vbi olim arx erat munitiſſima, quam ſub Romulo tenuit quidam nomine Tarpeius, cuius filia Tarpeia dicta, ipſam arcem Sabinis prodidit.

dit. Ex Tarpeio igitur, vel ex Tarpeia proditrice, pars illa dicitur collis Tarpeius, vel rupes Trapeia, vnde etiam sontes deturbari solebãt, vt pluribus verbis tradit Plutarchus in Romulo, & in Numa. Huius item rupis meminerunt Virgilius lib. 8. AEneid. & Varro lib. 4. de lingua Latina) *quæ de cœlo sæpiùs fulminata ostendit, quòd Domino displiceret*. Et in epistola priori hæc addit verba: *Lege Apocalypsim Ioannis, & quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere*. Colles isti septem sunt: Auentinus, Cælius, Capitolinus, Esquilinus, (quidam scribunt Exquilinus) Palatinus (à quibusdam dicitur Ianicularis) Quirinalis, & Viminalis. De quibus vide Varronem de lingua latina lib. 4. Strabonem lib. 5. & Volaterranum geograph. lib. 6. Septem igitur capita monstrosæ belluæ significant septem illos montes, in quibus posita est Roma caput orbis, & instrumentum diaboli ad bellum gerendum contra Ecclesiam Iesu Christi.

Deinde septem capita sunt reges septem Apoc. 17. 10. id est, septem diuersi magistratus, vel septem diuersa magistratuum, siue gubernationis genera, quibus gubernacula imperij Romani fuerunt commissa. Regis enim nomen gubernatores in vniuersum significat, vt clarissimi viri D. Immanuel Tremellius & D. Franciscus Iunius obseruarunt annot. in Gen. 36. 31. & facilè potest ostendi alijs in locis, vt Gen. 14. & ex collatione Matth. 10. 18. cum Luc. 12. 11. item Luc. 22. 25. Apoc. 17. 2. Quamuis variant scriptorum iudicia, quinam sint hi septem reges seu administratores Imperij Romani: tamen cuique opinor liceat bona doctorum pace sententiam suam in medium proferre. Duo primi reges seu gubernatores Romanæ reipublicæ omnium consensu, nempe reges septem, & consules agnoscuntur sine controuersia. Tertio loco ponimus dictaturam, quæ semestris tantum erat, sæpiùs tamen, nempe quoties opus fuit, repetita. Hoc munus primus gessit T. Largius anno nono, vt quibusdã videtur, vel vt alijs placet duodecimo ab exactis regibus, cùm Octauius Manilius Tusculanus, Tarquinij superbi gener, à socero stimulatus concitasset Latinos contra Romanos. Quartò, constituuntur Decemuiri anno vrbis 302. qui imperium tenuerunt circiter tres annos. Post enim ob tarquinianam superbiam in omnibus, & ob audax facinus Appij Clodij vnius è decemuiris, qui, filiam Virginij hominis plebei Ilicio viro tribunitio desponsatam tentauit

Septem capita significant Reges septem.

 uit

uit nefarijs modis vitiare, per seditionem populi, qui duce Virginio in Auentinum secedit, imperio summouentur anno ab exactis regibus sexagesimo, vt author est Cicero lib.2.de finibus. Quinto loco succedit Tribunitia potestas. Sexto imperatoria Maiestas. Quod septimum bestiæ caput deinceps videbimus cùm ad cap.17.10.ventum fuerit.

Blasphemia Imperatorũ Romanorum.

Et impositum capitibus eius nomen blasphemiæ] Prædicti moderatores imperij omnes fuerunt ethnici profani, & Deum blasphemarunt, præsertim execranda sua apotheosi, qua multi in numerum Deorum relati sunt. Roma enim vt alios Deos recepit, ita Cæsares dedit, vt prolixè ostendit Herodianus initio lib.4. Imò & alios consecrare solet, vt ex blasphemo oratore Cicerone liquet, qui & ipse apotheosim expetiuit ad Atticum lib.12.epist.35. *Sepulchri similitudinem effugere nõ tam propter pœnam legis studeo, quàm vt maximè assequar* ἀποθέωσιν. Quidam Imperatores etiam ante obitum diuinos sibi honores exhiberi mandarunt, vt Caligula, Domitianus, & Vespasianus. Gilimer rex Vandalorum, & Belisarius dux ille sub Iustiniano fortissimus, iussi Imperatorem ex more adorarunt, vt inquit Funccius lib.8.commentariorum in Chronologiam. Blasphemias Romanorum exagitauit luculenter satis Tertullianus in Apologetico cap.10. & sequentibus ad cap.15. & in libro de Spectaculis initio ferè.

Principes Europei adiutores erant Imperatoribus romanis in malum.

Et cornua decem] id est, decem reges, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges vna hora accipient cum bestia, vt interpretatur Angelus infrà cap.17.12. Videtur autem esse numerus certus pro incerto, vt passim in sacra scriptura. Reges enim isti, (vt facile est videre infrà cap.17.) sunt illi præsides, prætores, comites, proconsules, et reges (quamuis tum vix vllus erat rex in toto imperio) qui præsidebant populis subactis & in prouincias redactis, de quibus passim in Nouellis Iustiniani, & apud Strabonem sub finem lib.17. Hi enim primò commodarunt operam suam Imperatoribus contra ecclesiam Christi, vt videre licet apud Tertullianum ad Scapulam & apud Eusebium in hist. eccles. Deinde quidam ex istis præsertim Europæi veritatem edocti ministerio Euangelij restaurati his postremis temporibus (vt suprà cap.10.8. &c. dictum est) meretricem illam (bestiam scilicet secundam, de qua infrà vers.11.) iam nuper capitali odio persequuti sunt, vel Angelo interprete infrà cap.17.vers.16.

Et imposita cornibus eius decem diademata] diademata ista insignia sunt potestatis tanquam regiæ, quam acceperunt præsides illi prouinciarum, et reges sub Imperatoribus constituti.

Vers. 2.

Eratque hæc bestia] formam marinæ belluæ monstrosam & figuram vidimus: qualitates hoc versu descriptæ immanitatem eius ostendunt, suntque tres insitæ, scilicet 1. pardi. 2. vrsi. 3. leonis; & tres aduentitiæ, nempe draconis 1. virtus, 2. thronus. 3. potestas. *Similis pardo*] propter fraudulentiam, & rapidam celeritatem. Fraudem eius notauit scriptura Ierem. 5.6. Oseæ. 13.7. vt etiam Plinius lib. 10. cap. 73. & celeritatem Habak. 1.8. *Pedes eius vt pedes vrsi*] Vrsus est animal fœdum, sæuum, &, vt inquit Aristoteles de natura animalium lib. 8. cap. 5. omniuorum: nam fruge, fronde, vindemia, pomis, apibus, cancris, & formicis viuit, teste etiam Plinio hist. natur. lib. 10. cap. 73. Viribus suis multùm confidit, inuaditque non solum ceruos, sed etiam sues feros, & taurum quoque aliquando aggreditur. Nam resupinum se sternit, dumque taurus ferire conatur, ipse suis brachijs amplectitur cornua, ore etiam morsum defigit, ac ita ex ore cornibusque tauri pedibus omnibus suspensus, pondere eum fatigat, & tandem prosternit, Aristoteles de natur. animal. lib. 8. cap. 5. Plinius, lib. 8. cap. 36. Nec alteri animali stultitia solertior, ait Plinius. Sæuitiam eius celebrat scriptura 2. Sam. 17.8. Prou. 17 12. Oseæ. 13.8. *Os eius vt os leonis*] vt rugiente leone contremiscunt cætera cuncta animalia; ita minacia edicta Romanæ belluæ territant orbem. *Dedit autem ei draco*] diabolus sciens se paululum temporis habere suprà cap. 12. 12. selegit Romanum imperium fraude pantherina, sæuitia vrsina, & terrore leonino præditum, cui virtutem, thronum, & potestatem suam traderet exercendam contra ecclesiam Christi. Non diffitemur igitur authoritate magna pollere Romam, sed vnde habeat, agnoscant sanctissimi pontifices infulati, qui infrà vers. 12. omnem huius bestiæ dæmonicæ potestatem exercent in conspectu eius.

Qualitates bestiæ.

Vers. 3.

Et vidi vnum ex capitibus eius quasi lethaliter cæsum] Tertia bestiæ descriptio è signo capitis vulnerati septem fuisse huius bestiæ capita antè vidimus vers. 1. ex quibus sex ibi numerauimus. Quodnam

Caput bestiæ vulneratur

nam ex his fuit vulneratum, aut quando, controuertitur. Plura vulnerata fuerunt capita, & sæpius. Consularis potestas accisa non semel fuit & iterum instaurata. Tribunitia potestas infringebatur anno vrbis 369. vt inquit Plinius natur. hist. lib. 16. cap. 44. vel anno 379. vt inquit D. Ioannes Funccius, quem potissimum sequimur in computatione temporum, & tum per quinquennium capite caruit imperium. Imperatoria maiestas sæpè fuerit diminuta et infirmata. Sed missis præiudicatis omnibus, opinamur sextum hic designari caput, videlicet Imperatoriam potestatem, eamque lethaliter cæsam anno Christi 70. vel 71. quando Otho Romæ, Vitellio in Germania, Galba in Hispania, Vespasianus in Syria imperia simul & arma rapuerunt. Tum enim laceratum erat imperium, & lethaliter vulneratum hoc sextum caput, durauerantque bella ciuilia amplius anno integro. Sed Galbam interfecit Otho, qui postea prælio superatus à Vitellione, seipsum occidit, Vitellio, deficiente in Vespasiani nomen exercitu, ex latebris extractus à militibus, nudus per viam sacram in forum ducitur, indeque ad Gemonias scalas, vbi ceruice furcæ inserta, corpus virgis, more maiorum, & crebris minutissimorum ictuum compunctionibus, ad necem cæditur & in Tiberim deturbatur. *Sed ipsius plaga læthalis curata est*] scilicet per Vespasianum, qui restituit formam imperij, ordinem prouinciarum, distinctionem exercituum, leges & iudicia, quum sub tot portentis, Caligula, Claudio, Nerone, & in laniena Othonis & Vitellionis magnæ confusiones in toto genere humano extitissent, vt inquit Melanthō in Vespasiano. Iste, nempe Vespasianus, exanguē diu, fessumque orbem terrarum breui refecit, inquit Sextus Aurelius Victor. *Et admirans vniversa terra sequuta est bestiam*] Quarta bestiæ descriptio ex effectis sequentibus. Sensus est, omnes vbique sub ditione Romana constituti imperiū & pacem gratulabantur tum Vespasiano, tum sibi, dictoque erant obedientes, vt est versu sequente, & videre licet apud Sextum Aurelium, & Orosium lib. 7. cap. 9.

Effecta bestiæ.

Vers. 5.

Datumque est ei] Hactenus naturam bestiæ vidimus, sequitur vt qualis sit ex circumscriptione Dei videamus, vt diximus in vers. 1. Hic primò continetur potestatis eius circumscriptio vers. 5. secundò exsequutio vers. 6. 7. Potestas circumscribitur re, & tempore. Re, potestatem accepit (puta à Deo. Etsi enim draco potesta-

Potestas bestiæ à Deo circumscripta est.

tem

tem suam ei dedit vers. 2. tamen vel draco ipse potestatem accepit à Deo) loquendi, & agendi magna, scilicet id totum quod Romani Imperatores contra ecclesiam loquuti sunt & fecerunt trecentis primis annis vsque ad Constantinum magnum. Tempore, menses quadraginta duos. Menses isti 42. designant paululum id temporis quod diabolo concessum erat suprà cap. 12.12. videlicet tempus grauissimæ illius persequutionis, quæ durauit vsque ad Constantinum magnum. Supputandi sunt enim prorsus sicut sanctissimus Pater D. Ioannes Foxus accepit, nempe per sabbatha annorum, quo modo menses 42. efficiunt annos 294. quibus ex vicesimo anno Imperij Constantini, qui idem fuit annus Christi 329. subductis, constabit prophetiam istam statim post mortem Christi incœpisse. Vicesimum autem imperij Constantini annum potissimùm statuimus (licet de articulo temporis victi, profligati, & vincti diaboli statuere non sit promtum) quia eodem tempore celebre illud concilium Nicænum habitum fuit in Bythinia, vt inquit Eusebius lib. 3. & 4. de vita Constantini.

Imperatores romani nihil possunt contra ecclesiam nisi permissione diuina.

Imperatores Romani persecuti sunt ecclesiam annos. 294.

Vers. 6. 7.

Aperuit igitur os] Acceptam & circunscriptam à Deo potestatem ver. 5. nunc vtique exsequitur loquendo blasphemias vers. 6. & impiè agendo vers. 7.

Facta bestiæ.

Vers. 8.

Itaque adorabunt] Conantur draco, & bestia beneficiaria eius fideles adigere ad abnegationem Christi, sed id nullo modo possint efficere. Voluntati eorum impiæ obsecundant tantum reprobi, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni illius mactati iam inde à iactis mundi fundamentis

Imperatorum potestas in reprobos tantum.

Vers. 9.

Si quis habet aurem] Epiphonema triplex: primum attinet ad lectorem, vers. 9. alterum ad persequutorem, maiori parte vers. 10. tertium ad fideles afflictos, in fine vers. 10. Primum ad finem cuiusque septem epistolarum ad septem ecclesias in Asia appositū fuit suprà cap. 2. & 3. habetur etiam Mat. 11. 15. & 13. 9. 43. Idem valet, quod sententia illa Math. 24. 15. *qui legit, animadvertat*. Summa est, cui aures perforauit Dominus vt audiat & intelligat quæ hactenus ab initio huius capitis dicta sunt de bestia ista truculenta,

Admonitio triplex.

perpendat secum diligenter, serióque cogitet qualis sit bestia beneficiaria draconis suâ ipsius naturâ vers.1,2,3,4.& quomodo feralem eius rabiem circunscripsit Deus vers.5,6,7,8. Sunt enim hæc duo præcipua huius loci capita.

Vers.10.

Si quis in captiuitatem] Epiphonema secundum, vt in vers.9. diximus, cuius interpretationem vide Gen.9.6.Matth.26.52.Nam *Hæc est pars proculcantium nos, & sors diripientium nos*, inquit Esaias cap.18.vers.3. secundum Tremel.& Iunium, vel cap.17.14. Si quidem iustum est apud Deum, vicissim reddere ijs qui affligunt nos, afflictionem 2.Thess.1.6. *Hic est tolerantia & fides sanctorum*] Tertium epiphonema vt dictum est in vers.9.quod etiam iteratur infrà cap.14.12. Hîc, id est, mensibus istis quadraginta duobus, toto isto afflictionis tempore vsque ad Constantinum magnum,est tolerantia,id est,cernitur tolerantia & fides sanctorum, & sancti opus habent tolerantiâ & fide.

Vers.11.

De bestia secunda,id est,de Pontifice Romano.

Deinde vidi] Hactenus de priori bestia, & de calamitate quæ accidit mensibus illis 42.id est, annis 294. à morte Christi ad Constantinũ magnũ: nũc sequitur altera bellua longè tetrior, alia tempestas magis turbulenta, & aliud tempus difficilius & diuturnius, itaque aliud hîc caput inchoarem. Exordium temporis sumendum à Pontificatu Romano & ab anno Christi 606. & continuandum vsque ad instaurationem Euangelij circa annum Christi 1320. vt initio cap.12.diximus. Sed vt illustretur hic locus perspicua declaratione, qui nõnullis videtur dubius & perobscurus, liceat bonorum pace summam totius rei paucis aperire, & bestiam hanc bicornem ab ouo repetere. Paulus Apostolus prophetiæ spiritu afflatus, prout Christus promiserat Ioan.16.13. prædixit hominem illum sceleratum, filium perditionis, Antichristum ipsum, Pontificem Romanũ pessimum maximum, belluam hanc secundam, venturum & etiam reuelatum iri priusquam veniret Christus ad iudicium, 2.Thess.2.3. Imo iam tum ipsum in mundo esse, & mysterium iniquitatis inceptum esse ibidem testatur vers.7.sed nondum mundo patefactũ.

Pontificis Romani descriptio inde ab incunabulis repetita.

Papa in cunis vagire

Porro,

Porro, imperium dixit Romanum impedimento esse quo minus patefieret, sed imperio sublato, reuelandum esse Antichristum Romanum. Quamobrem quid egerint Episcopi Romani triginta duo ante Constantinum, & quid postea mitrati Archiepiscopi Romani, & Papæ Antichristi ad conuulsionem vsque imperij dispiciendum. Illius sedis impietas durante persequutione vix vnquam se prodere potuit, etsi mysterium illud iniquitatis iam tum cœperat agere. Attamen Victor Episcopus Romanus decimus tertius papalem animum ostendit in eo quòd ob leuem dissensionem de celebratione Paschatis, Episcopos Asiaticos excommunicauit anno Christi 198. Verùm à pluribus, præsertim ab Irenæo Lugdunensi grauiter est reprehensus, Euseb. lib. 5. cap. 26. Porrò vel papistæ ipsi, vt Pauli comprobarent vaticinium, episcopis istis primis plurima impia & superstitiosa decreta ascripserunt, ex quibus licet sint nónulla falsò eis attributa, tamen consilio diuino factum est, vt contra se testentur si modo vlla vera sint, quod partim credit Ioannes Sleidanus lib. 2. de quatuor monarchijs. Sed hæc ad Constantini tempora. Imperium Romanum non statim ruit, cohibita sæua illa trecentorum ferè annorum persequutione, etsi mox dilacerari cœptum est, & suis tandem gradibus cecidit. Primùm enim Constantinus Magnus, vt via sterneretur Antichristo, sedem imperij Roma transtulit Constātinopolim anno Christi 335. Deinde mortuo Constantino, imperium pro numero filiorum eius, in tres partes diuiditur anno Christi 341. Nam Constantinus natu maximus tenuit Hispaniam, Galliam, Alpes, & Britanniam: Constans Italiam, Africam, Græciam, & Illyricum: Constantius minimus natu orientem tenuit. Postea imperium, Iuliano apostata extincto, à nobilissima Constantini familia translatum est anno Christi 366. vt inquit Carion. Deinde occasum imperij à morte Valentis anno Christi 381. enumerat nobilis historicus Auentinus annalium Boiorum lib. 2. in Gratiano, qua in re Ruffinum sequitur & diuum Hieronymum. Atque sub finem eiusdem libri ait, Vrbium reginam Romam dominamque terrarum intra annos septem & septuaginta, quinquies Germanorum robori cessisse: quinquies à Germanis sub iugum missam fuisse. Verùm Carion, Philippus, & Funccius finem occidentalis imperij & Italicorum Imperatorum constituunt circa annum Christi 475. vel 480. quibus etiam assentitur Auentinus in Anthemio. Post hæc tempora Gothi & Longobardi infusi sunt in Italiam, & occidens

cœpit temporibus apostolorū. Papa, durante imperio, sese mūdo venditare non potuit.

Decreta primis Episcopis romanis adscripta, ostendūt anguē tunc in herba latitasse.

Post Constantinum creuit Pontifex romanus imperio sensim inclinante.

certa & constante monarchia caruit annis plus quàm trecentis vsq; ad Carolum magnum, ad annum Christi 800. Dum autem has inter se collisiones gentium nouarum pertulit Italia, collapsumque erat imperium, Antichristus Romanus, filius perditionis, bestia hæc secunda prodit in medium, séque ostendit mundo secundum vaticinium Pauli. Sed fide sensim & vera religione post mortem Constantini Magni deficiente, Archiflamen Romanus duobus præsertim gradibus ad tantæ impietatis tyrannidisque fastigium peruenit demum, subiugatis primùm Episcopis, deinde imperatoribus conculcatis. Atque cæteris Episcopis iam inde ab initio imperitandi omnem vndique arripuit occasionem. Et quum scelerati quidam in Africa excommunicati, solebant quandoque ad Episcopum Romanum prouocare, vt de Felicissimo & Fortunato pseudoepiscopis, qui anno Christi 253. Romam cum Felice, Iouino, Maximo, & Priuato complicibus suis nauigarunt, grauissimè queritur Cyprianus lib. 1. epist. 3. Zosimus Archiflamen Romanus anno Christi 420. absoluit & ad communionem recipit Apiarium quendam presbyterum africanum Romam prouocantem, quem frequens in Africa synodus propter multa eius scelera condemnasset. Quò verò audax hoc facinus contra decreta Patrum concilij Nicæni cap. 5. & Antiocheni cap. 2. admissum figmẽto aliquo coloraret, remisit sceleratum Apiarium in Africam, & cum eo duos presbyteros Romanos, qui excommunicatum pristinæ dignitati restituerent, & cum Episcopis Africanis agerent, vti cuiuis presbytero deinceps liceret ad sedem apostaticam prouocare. Nam ita in concilio Nicæno decretum esse affirmabant. Sed Africani authenticis exemplaribus Constantinopoli ad se missis infulatum archipræsulem romanum in manifesto mendacio deprehenderunt. Deinde anno Christi 455. Leo primus Pontifex romanus veritus ne Anatholius Episcopus Constantinopolitanus hanc primatus dignitatem sellæ romanæ præriperet, scripsit ad Martianum Augustum vt compesceret arrogantiam hominis, cui tum subscripserant Episcopi Illyriciani, vt author est Ioannes Auētinus Annalium Boiorum lib. 2. in Valentiniano tertio. Eodem tempore concilium Chalcedonense Act. 16. Statuit parem dignitatem sedi Constantinopolitanæ atque romanæ tribuendam. Sed Lucentius Episcopus sedis Apostolicæ vicarius exclamauit. *Sedes apostolica nobis præsentibus non debet humiliari.* Et Gelasius Papa in tomo quodam de vinculo anathematis, super

Pontifex Romanus duobus modis sedẽ Antichristi occupauit. 1. Episcopus Romanus dominium quærit in cæteros Episcopos.

acta concilij Chalcedonensis, totam censuit admittendam synodum excepto decreto illo de priuilegio Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cui repugnarunt vicarij Apostolicæ sedis in ea præsidentes, vt habetur inter decreta Gelasij quæ concilijs interseruntur. Pelagius præsul Romanus primatum Ecclesiæ Romanæ non à synodis, aut ab hominibus, sed ab ipso Christo prouenisse primus asseruit circa annum Christi 560. vt est dist. 21. c. quamuis. Idem dicit Anacletus dist. 22. cap. Sacrosancta. Postea Ioannes Constantinopolitanus primatum ambiuit, sed illi obstitit Gregorius magnus circa annum Christi 600. Denique anno Christi 606. quod decessores sæpè tentassent ante, sed conatu irrito; Bonifacius tertius ardenti petitione, sed largitione multò feruidiori obtinuit à Phoca Parricida & Cæsaricida, vt Romana sedes omnium Ecclesiarũ diceretur caput. Atque hoc principium regni Papatus supra cæteros Episcopos. Et ex hoc tempore Papæ nomen, quod omnium vocabulorum episcopalium excellentius esse statutum est, solus Romanus Pontifex, quum antè omnibus commune esset Episcopis, retinet, quo vno potestatis eius dignitas, & supra cæteras Ecclesias vetus prærogatiua designatur, vt inquit Onuphrius annotat. in Platinam. Anno autem Christi 687. Constantinus Pogonatus imperator orientis, quando Benedictus secundus Romanæ sellæ incubabat, Papæ sanctitate permotus, sanctionem Romam misit, vt deinceps quem clerus, populus, exercitusque Romanus in Pontificem delegisset, eundem statim verum Christi (draconis dicere deberet) vicarium esse omnes crederent, vt ait Platina in Benedicto. 2.

Episcopus Romanus fit cæterorũ Episcoporũ princeps.

Sed cleris dominari, non satis sibi honorificum putauit Antichristus Romanus, nisi regna etiam huius mundi inuaderet, imperatoribus & regibus Europæis sub iugum missis. Animum igitur adiecit ad curas seculares, ac suopte marte se demum mundi dominum cõstituit. Inprimis verò egregiè mentitur donationem Constantini magni, fingitque eum Syluestro donasse vrbem Romam & imperium occidentis, vt videre licet distinctione 96. cap. Constantinus. Deinde Papæ bruta fulmina, reuera ignita diaboli tela eiaculantur contra Imperatores occidentales & orientales. Gelasius 1. & Anastasius 2. excommunicarunt Anastasium Imperatorem orientis circa annum Christi 495. Platina in vitis eorum. dist. 19. cap. Anastasius. Constantinus 1. Papa Philippicum Imperatorem pronuntiauit schismaticum circa annum Christi 713. Gregorius 3. Papa excommuni-

2. Papa Imperatores & principes sub iugum mittit.

municauit Leonem Isaurum Imperatorem circa annum Christi 734. Stephanus 2. Papa eidem Leoni Imperatori tributa Italiæ negauit. Constantino Copronymo graue item fuit cum Papa Romano Gregorio 3. dissidium. Vt autem se defenderet contra Imperatorem, Papa eodem tempore amicitiam fecit cum Longobardis, magnam tum Italiæ & imperij occidentis partem vi possidentibus. Paulus Exarchus 14. Papæ perduellis prehendendi causâ missus ab Imperatore Orientis, seditione Pontificis operâ suborta, interficitur à ciuibus Rauennatibus. Atque ita Paparum artibus Imperatores spoliantur imperio occidentis. Haud multò post, vix quatuor euolutis annis, Luithprandus Longobardorum rex regnandi cupiditate flagrans, & fines regni dilatare cupiens, cæteras Italiæ partes aggreditur, ipsamque vrbem Romam, Papa inuito, obsidione cingit. Gregorius 3. Pontifex, vel vt quidam volunt Zacharias, in istas adductus angustias, ad Carolum Martellum Maiorem Regiæ domus in Gallia mittit, auxiliumque ab eo implorat. Carolus petitioni Papæ annuens, statim impetrat à Luithprando propter veteres amicitias, vt obsidionem soluat, vrbem & Pontificem metu liberet. Deinde sedecim vix elapsis annis, alter à Luithprando, Longobardorum rex, Aistulphus, totius Italiæ Dominium quærit. Stephanus igitur secundus Papa Pipinum nuper regem Galliæ Pontificis authoritate constitutum, è Gallijs euocat in auxilium. Pipinus beneficij modò accepti memor, Alpes transcendens festinat in Italiam, Papiamque Longobardorum regum sedem obsidet, ita vt breui Aistulphus cogatur quaslibet pacis conditiones accipere. Itaque Pipinus subacto Aistulpho, nihil sibi prædæ assumit, sed quod Longobardi vi tenebant, & iure ad Imperatorem pertinebat, nimium ex alieno liberalis, Papæ Romano dedit. Atque hæc est, vt quibusdam videtur, Constantini magni donatio, de qua tam impudenter mentiuntur papistæ.

Papa fit princeps huius mundi, & Antichristus plenè reuelatur anno Christi, 800.

Denique Carolus magnus Pipini filius Rex Franciæ, ab Adriano papa in Italiam euocatus ad vrbis Romanæ defensionẽ, transmissis Alpibus cum Desiderio vltimo Longobardorum rege congreditur, eumque in fugam conijcit, ac demum capit. Atque hic finis fuit regni Longobardorum anno 774. quod durauerat annos ducentos quatuor. Pontifici autem Romano Carolus iam Pipini patris donationem confirmauit. Nunc igitur Papa Italiam possidet & imperium occidentis, seque palam ostendit Antichristum esse, de quo tam

diu

diuante vaticinatus fuerat Paulus. Hæc est plenitudo potestatis papisticæ, & tolerandum est iugum, quod à sancta sede imponitur licet intollerabile videatur dist. 19. c. in memoriam.

Atque ob hanc causam Iustinianus imperator orientis non solum Pontificem Constantinum primum amplectitur, verum etiam eius pedes venerationis causâ exosculatur anno 708. vt ait Platina in Constantino. Pipinus Franciæ rex ad terram se prosternebat, Papæ Stephani 2. pedes osculabatur, strepam apprehendit, frænum accepit manu, stratoris officium adimpleuit, ac perpetuam fidelitatem iurauit, vt inquit Balæus in Stephano 2. Carolus Magnus fœdum patris Pipini exemplum imitatus, Pontificis Adriani primi pedes exosculabatur. Quid verò cæteri fecerunt Imperatores, reges, & principes post Antichristum reuelatum (suis gradibus labente indies imperio à Constantino Magno ad Carolū vsque Magnum) non est instituti nunc exponere. Quod propositum erat ostendimus, filium perditionis post mortem Constantini Magni sensim prodiisse, ac se tandem ostendisse palam anno Christi 606. cæteris episcopis superiorem: deinde anno Christi 800. Imperatoribus ac principibus authoritate & dignitate celsiorem.

Imperatores adorant Pontificem Romanum.

Ex hoc tempore, ex anno 606. & ex anno 800. Pontifices Romani (principes facti huius mundi Ioan. 14. 30.) condiderunt non ecclesiam catholicam & orthodoxam Christo, sed hierarchiam sibimetipsis, similem politijs, descripto ex diaconis Vrbis Romæ & vicinis episcopis collegio purpuratorum, in quos Nicholaus secundus anno 1060 à populo romano ius omne atque potestatem eligendi Pontificem transtulit, distributis ordine in singula regna orbis christiani episcopis, ceu ducibus in prouincias, qui authoritate simili armati, & potentia politicis pari aut maiore etiam instructi erant, denique comparato satellitio innumerabilium monachorum, velut exercitu. Hanc hierarchiam finxerunt esse ecclesiam, Durandus rational. diuin. offic. lib. 2. cap 1.

Hierarchia Romana condita.

Sed vt eò se referat oratio vnde deflexit, hoc restat declarandum, Pontificem Romanum esse illum ipsum Antichristum, qui sub typo huius secundæ belluæ è terra ascendentis figuratur. Hoc autē facilè fieri potest, si modo hæc duo memoriâ teneantur: primum, bestiam priorem designare romanum imperium, vt suprà satis declarauimus primis decem versibus huius capitis: secundum, alteram hanc bestiam esse pseudoprophetam, vt liquidò constat infrà cap. 16.

Secunda bestia denotat Pontificem Romanum.

16.verſ.13.& cap.19.verſ.20.& cap.20.verſ.10. quod etiam agnoſcit Irenæus lib.5.cap.23. & meretricem magnam, de qua infrà cap. 17. Sic igitur ratiocinor.

1 Quiſquis exercet omnem poteſtatem prioris belluæ, id eſt, romani imperij, is ſub hac ſecunda beſtia denotatur, vt infrà patet verſ.12.

Solus Archiflamen Romanus exercet omnem poteſtatem prioris beſtiæ, quod totius orbis teſtimonio poteſt comprobari.

Solus igitur Antichriſtus Romanus hac ſecundâ belluâ ſignificatur.

2 Quiſquis animat imaginem prioris beſtiæ, id eſt, reſtituit ſpeciem imperij Romani quod priùs annis amplius trecentis quaſi extinctum fuit, ab anno 475. ad annum 800. is hac ſecundâ beſtiâ figuratur, vt liquet infrà verſ. 15.

Solus autem Antichriſtus Romanus imaginem prioris beſtiæ animauit, id eſt, imperium ſibi ſoli aſſumpſit & vendicauit, nudoq; imperij titulo Francorum reges & principes Germanorum inſigniuit.

Solus ergo Papa Romanus figurâ huius ſecuudæ beſtiæ ſignificatur.

3 Quiſquis facit incolas terræ adorare priorem beſtiam, vel imaginem prioris beſtiæ, is ſub typo huius ſecundæ beſtiæ deſcribitur verſ.12,14,15.

Solus Præſul Romanus id præſtat.

Itaque Papa ſolus ſub figura huius ſecundæ beſtiæ depingitur.

4 Qui omnibus ſuis imprimit characterem in manu aut in fronte, is ſignificatur ſub hac ſecunda beſtia, infrà verſ.16.17.

Solus Ceraſtes ille Romanus imprimit characterem papicolis in manu aut in fronte.

Solus Papa Romanus igitur eſt bicornis hæc ſecunda bellua.

5 Quiſqius falſis miraculis præcipuè & præ cæteris omnibus ſeducit incolas terræ, is depingitur ſub hac ſecunda bellua ver.13,14.

Pontifex Romanus Peſſimus Maximus præ cæteris omnibus claret falſis miraculis, quibus incolas terræ ſeducit.

Itaque Papa ſceleratiſſimus eſt hæc bicornis beſtia.

6 Quiſquis Agnum ſimulat, ſed draconem agit, is eſt hæc ipſa ſecunda beſtia verſ. 11.

Sella Romana apoſtatica Agnũ ſimulat (impudens enim nebulo

vicarium

vicarium se Christi, & Petri successorem mentitur) sed diabolum agit, vt Syluester secundus, Gregorius septimus, & alij multi Pontifices Maximi congerrones diaboli vel ipsis papistis testibus.

Antichristus ergo Romanus est hæc secunda bellua.

7 Meretrix illa magna sedens super aquas multas, cum qua scortati sunt reges terræ, est hæc ipsa secunda bestia, vt in interpretatione huius mysterij liquet infrà cap. 17, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 15.

Scortum Romanum (Pontificem dico) est meretrix & lupa illa quacum scortati sunt reges terræ, vt ibi manifestũ est & orbis videt.

Prostibulum igitur Romanum est hæc secunda bestia.

8 Pseudopropheta ille de quo infrà cap. 16, 13. & 19, 20. & 20, 10. est hæc secunda bestia.

Papa est ille Pseudopropheta.

Papa igitur est hæc bellua.

9 Impostor ille quem patefactum iri prædixit Paulus 2. Thess. 2. 7, 8. quum sublatum foret imperium, est ipse Antichristus, pluribus tum veteribus tum recentioribus scriptoribus locum illum ita exponentibus.

Papa Romanus patefactus fuit quando collapsum erat imperium, vt suprà paululum ostendi.

Ergo Romanus Pontifex est ipsissimus Antichristus.

Atque hæc papistarũ causâ dicta sunto, á quibus propterea gratias mihi deberi puto, vix haberi credo, referri non desidero. Sed ad contextum redeamus.

Vers. 11.

Deinde vidi] Duo hîc in vniuersum notanda veniunt: descriptio bestiæ hoc versu & sequentibus ad vers. 18. & epiphonema vers. 18. Bestia describitur duobus modis: primùm ex forma hoc versiculo: deinde ex factis vers. 12. & sequentibus. Bestia cornibus Agnum simulat, voce draconem sonat, hoc versiculo. ***Aliam bestiam***] id est, Pontificem Romanum, vt suprà paululum diximus. ***Cornua duo similia*** (subaudi cornibus) ***Agni***] Papa simulat Agnum, id est, Christum, & profitetur humilitatem, seruum se vocitans seruorum, & vicarium Christi, quasi Christus nobiscum non adesset vsq; ad finem seculi Math 28. 20. Est igitur impius nebulo & insignis hypocrita. ***Loquitur vt draco***] Id est, vt vt simulat pietatem & humilitatem, reuera tamen loquitur vt diabolus si vim verborum eius expendamus. Nam etsi præfatur, seruus seruorum Domini, subinfert

Distributio

Forma bestiæ.

tamen, *Sic volo, sic iubeo.* & decreta Papalia sunt blasphemiarum plena, vt diabolum facilè agnoscas. Diabolus princeps huius mundi (Ioan.12,31.) dixit ad Christum Math.4.9. *Hac omnia tibi dabo si procidens adoraueris me.* Filij eius beatissimi scil. Papæ Romani, hæc eadem verba vsurpant, ac dicunt in sua esse potestate omnia huius mundi regna, vt dent adorantibus apostaticam sellam Romanam. De potestate ista gloriabatur Bonifacius octauus, Gregorius 7. dixit *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.* Non est ouum ouo similius, quàm Pontifex Romanus diabolo.

Vers.12.

[...]tiæ facta *Ea verò potestatem*] Altera huius secundæ belluæ descriptio ex factis eius, vt in versum proximum dictum est. Facta autem sunt in vniuersum duo: Primò enim exercet omnem potestatem prioris bestiæ, initio huius versus: secundò characterem imprimit omnibus hominibus qui merces emant ab eo vers.16.17. Prioris facti summa continetur priori hemistichio huius versiculi, vt iam dictum est, expositio posteriori hemistichio & versibus sequentibus.

[...]asphemia [...]apæ Ro[...]ani. *Potestatem prioris bestiæ omnem exercet*] Id est, aperuit os suum ad blasphemiam aduersus Deum &c. vt prior bestia fecerat suprà vers.6,7. Hoc manifestum est omnibus qui vitas & decreta Paparum Romanorum legerint. *In conspectu eius*] Id est præsentibus & videntibus imperatoribus Orientis & Occidentis Papa ciuilē assumpsit gladiū, res politicas disposuit, ecclesiam Christi persequutus est, & quicquid poterant imperatores, id sibi suis artibus vendicauit.

καὶ ποιεῖ, nam facit vt terra] Expositio prioris facti, vt modo diximus, estque duplex: prior, reliquo hoc versu & duobus sequentibus; posterior vers.15. Si enim quæratur quomodo Papa exercet potestatem prioris bestiæ, facilis est solutio. Nam facit vt incolæ terræ adorent bestiam primam, idque falsis suis miraculis, vers.13, 14. deinde quod maius est, primam bestiam pene emortuam animat vers.15. Itaque plus potest quam potuit prior bestia. Quantò enim sol maior luna, tantò filius hic perditionis (Papam dico) maior est Imperatore, vt in blasphemis distinctionibus de maioritate & obedientia habetur.

Adorent bestiam primam] Id est, vt impij (nam in electos talem non habet potestatem) idololatriam amplectantur, & sicut improbis edictis Imperatorum obtemperassent ante, ita nunc partim

ijsdem, partim nouis beatissimorum (si dijs placet) Paparum & superstitiosis traditionibus decretisque patent. *Cuius curata fuerat plaga*] Vide suprà in vers. 3.

Vers. 13.

Edit enim signa] Modùm ostendit, quo facit vt incolæ terræ adorent bestiam primam, nempe falsis miraculis, qualia Papæ ediderunt permulta. Nam Symmachus Paschasii diaconi animam pertinacem, purgatorio post mortem deputauit. Imò diebus illis tria alia miracula valde magna fiebant, inquit Balæus in vita Vitelliani. Monachorum cœnobia erigebantur, reges in monachos tondebantur, & quotidiana scortatio erat in sanctam canonizata. Syluester 1. Sozimus, Benedictus 2. & Zacharias vestes complures in sacrum vsum dederunt, & Ecclesiam, histrionum in morem iudaicis & ethnicis ritibus perpulchrè adornarunt. Gregorius Magnus Traiani animam ab inferis liberauit, si draconi credamus. Constantinus 1. Kenredum & Offam, duos Anglosaxonum reges, vertit in monachos, anno 711. Idem Papa imperatorem primus ad beatorum pedum oscula admisit. Zacharias, vt aiunt Abbas Vrspergensis & Funccius, vel Stephanus 2. vt author est Eginhartus in vita Caroli Magni, Hildericum legitimum regem Franciæ deposuit, detondit, & in monasterium detrusit, Pipinumque in eius locum suffecit. Leo 3. imperium transtulit in Francos. Formosi cadauer in Tiberi à piscatoribus repertum, dum funus celebratur, ab imaginibus (idolum ab idolis) venerabiliter fuit salutatum. Ioannes 19. purgatorium reperit in Ætna monte. Benedictus 8. post mortem apparuit nigro insidens equo. Alexander 3. Fredericum Barbarossam primùm prodidit Suldano Turcarum, & postea collum eius pedibus conculcauit, dicens: *Scriptum est, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem ac draconem.* His & infinitis huiusmodi myriadibus miraculorum orbem seduxit Antichristus Romanus. *Adeo vt etiam ignem*] Id est, sicut fideles confirmarentur de vera religione, igne cœlitus dimisso ad preces Eliæ 1. Reg. 18. 36, 37, 38. ita pseudochristi Romani miraculis falsis & impijs dementarunt & seduxerunt reprobos. Sic enim accipere malim, quàm ad vnum vel alterum Papam referre qui miracula ignota ediderunt, id quod quidam ex Benone Cardinale narrant de Papa longè scelera-

Miracula insignia Pontificum romanorũ.

 tissimo

tissimo Gregorio 7. qui sacramentum coniecit in ignem, & quum vellet, manicas ita discutiebat suas, vt ignis in modum scintillarum dissiliebat.

Vers. 15.

Datumque est ei] Posterior expositio prioris facti huius belluæ, vt in vers. 12. dictum est. Qui enim vitam alicui potest indere, is facile facturus est, quicquid ille præstat, cui tribuerit vitam. Vappa autem Romanus Imperatoribus vitam reddit inuestiturâ, coronatione, & vnctione satis pingui.

Papa collapsum imperium instaurat.

Vt animaret imaginem bestiæ] Id quod fecit, quando collapsum imperium restituit in Carolo Magno, Volaterranus lib. 23. Quum enim pro calumnia Leoni 3. Papæ ingesta, Romam veniret Carolus, & natale Domini ibi celebraret, ei ab oratione surgenti, & nihil minus speranti, Leo Antichristus Romanus coronam imponit, & Imperatorem Romanum pronuntiat, tumque à cuncto Romano populo acclamatum est anno Christi 800. vel 801: *Carolo Augusto à Deo coronato, Magno & pacifico, Imperatori Romanorum vita, victoria.* Nihilominus Papa de alieno liberalis, non seipsum penitus exclusit ab Imperio, sed potius id ferè totum sibi assumpsit, Carolo concedens nomen solum atque titulum Imperij. Suprà enim diximus Pipinum donasse Papæ, quod iure pertinebat ad Imperatorem Constantinopolitanum, Carolumque postea subuerso regno Longobardorum, Patris Pipini donationem confirmasse. Vappa igitur imperium Occidentis tenet, Carolus solo nomine gaudet. Quamobrem non imperium, sed imaginem & speciem imperij, bicornis Papa restituit in Carolo Magno, & insequentibus imperatoribus. *Vt etiam loquatur*] Hoc fit, quia Imperatores coronationem & inuestituram accipiunt à Papa, nec alias censentur pro legitimis imperatoribus. Hac enim lege Imperatorem inungit Papa, vt iureiurando polliceatur, se perpetuam obedientiam sellæ pestilentiæ seruaturum. Quod diligenter notauit Platina de Henrici quarti tragœdia in vita Hildebrandi, qui fuit pestis vrbis & orbis. Sed forma iuramenti habetur dist. 63. c. tibi domino. & lib. 1. ceremoniarum sect. 5. cap. 2.

Imperator coronam accipit à papa.

Vers. 16, 17.

Character papæ.

Sed & facit.] Alterum bicornis Papæ factum, characteris scilicet impressio, vt suprà in vers. 12. diximus. Quoniam de characte-

re bestiæ huius secundæ, multa hoc libro dicuntur, veluti hoc ipso in loco, & infrà cap.14.9. cap.15.2. cap.16.2. cap.19.20. & cap.20.4. & charagmate quoque isto insigniri sit exitiale, vt constat cap.14.9. paucis dicam quid de eo sentiam. Character autem nihil aliud est, quàm nota externa alicui rei impressa, vt ab alijs distinguatur. Sic igitur habendum: Cuicunque quis sistit se seruum ad obediendum, eius seruus est, cui se tradit in obedientiam, siue Christo se tradat ad veram religionem & pietatem, siue Antichristo Romano ad profanam superstitionem & impietatem. Deinde Christus eos, qui se illi in obedientiam tradiderunt, notâ aliquâ externâ & sancto charactere obsignat, sibique obligat. Antichristus item Romanus eos, qui se illi tradunt in obedientiam, notâ aliquâ externâ, & superstitioso charagmate obsignat, sibique obligat. Quare expositis seorsim Christi & Antichristi characteribus externis, quibus eorum serui insigniuntur, & dominis suis obligantur, patebit omnibus huius loci sensus. Character autem propriè est signum aliquod externum, vt modò diximus, quo res vna ab alijs discernitur apud homines, non interna aliqua nota. Quòd si vnquam signum aliquod internũ esset, quod non puto, tamen Spiritus sanctus hoc quidem in libro per characterem significat externam tantùm notam. Imprimitur enim frontibus, vel manibus hominum. Character in fronte impressus, significat externam professionem, vt de seruis Christi suprà diximus in cap.7. & infrà patet cap.14.1. In manu autem impressus, significat externam actionem. Etsi verè credentes in Christum multos acceperunt externos characteres in frontibus & in manibus, quibus Dominum suum ore & opere, verbis & factis palam profitentur: commemorabo tamen quatuor solummodo hoc tempore. Sunt autem verbum Dei veteri & nouo testamẽto comprehensum; duo sacramenta, Baptismus, & Cœna Domini; & disciplina ecclesiastica. His enim characteribus ceu notis tesserisq; sanctis, suos obsignat Christus, & ab alijs cœtibus ac sectis omnibus discernit manifestò. Et qui verè sunt serui Christi, dum hos characteres suscipiũt, neque eosdem palam verbo & opere profiteri erubescunt, manifestò internoscuntur ab alijs omnibus. Ac si res esset cum Ethnicis & cum Mahumetanis, nulla latere potuit difficultas. Sed quia negotiũ est cum Antichristo ipso Romano, & cum satellitibus eius papistis, multæ suboriuntur in animis quorundam hominum difficultates, eò quòd Papa sedet in Templo Dei, Christumque, verbum Dei, sacramenta,

De cha[...] cteribus pisticis.

Differen[...] inter cha[...] cteres C[...] sti & Pa[...]

Charac[...] Christi.

cramenta, & disciplinam profitetur. Vt igitur de discrimine inter Christum & Antichristum Romanum, inter veros Christianos (loquor de externis characteribus & de externa professione. Solus enim Deus nouit qui sui sunt) & papistas; inter characteres Christianos & papisticos discernamus, considerandum est, omnes in vniuersum characteres papisticos duorum esse generum: quorum vnum est characterum Christianorum, sed Papæ artificio corruptorum: alterum, eorum characterum, quos ex proprio cudit sella ista pestilentiæ. 1. Nam quum sacrosanctum verbum Dei, legitimus sit verorum Christianorum character, dum legitimè adhibetur, Pontifices Romani, vt ex eo papisticum characterē conficerēt, sacrilegè adulterarunt addendo Apocrypha plurima, detrahendo authoritatem & plenitudinem, commutando & corrumpendo eò quòd tum spretis fontibus authenticis Hebrææ & Græcæ veritatis, sentinam corruptæ veteris, nesciunt cuius, translationis consectantur; tum sensum pro libitu deprauant, ac suo ipsorum exitio detorquent. Ita ex christiano papisticum characterem fecit Archiflamen & Antichristus Romanus. 2. Baptismum characterem Christianorum commutat Antichristus Romanus in papisticæ seruitutis signum, quando præter institutionem Christi, insuper adhibet chrisma, aphrogala, sputum, salem, cruces, cereos, cappas, exorcismos & eiusmodi, de quibus Conradus à Liechthenair sub anno 1124. Durandus rational. diuin. offic. lib. 6. cap. 83. & Catechismus Tridentinus. 3. Sacram Domini cœnam multis etiam modis polluit Romanus Antichristus, & in characterem papisticum commutat. Primò enim comminiscitur ingeniosus diabolus panem & vinum ad pronuntiationem paucorum verborum, naturam suam abijcere, & in carnem sanguinemq; conuerti. Secundò, artolatriam inducit, & præcipuè idololatriam. Nam hoc modo Antichristus ipse, quem meritò idolum appello, inprimis adoratur. Sicut enim Reges Persicos præcedebat equus gerens paruam aram, in qua inter modicos cineres refulgebat subinde flammula sacri ignis, quem Orismasda nominabant, & quem adorabant Persæ: ita Antichristum Romanum antegreditur asturco ephippiatus & phaleratus gerens panem consecratum. Quod præcipuè fit, vt Papa, idolum illud ingens, eò magis adorationem lucretur à populo lib. 1. ceremoniarum sect. 12. cap. 1. Tertiò pro communi pane azymum substituit Papa, fortè vt eò faciliùs aliam indueret naturam: nihilominus sacrificium appellat

[...]acterū [...]tico- [...]duo [...]genera.

pellat anæmatum siue incruentum. Quartò poculum, quod sacrificuli abrasi valde diligunt, negat Antichristus plebi. 4. Sanctam Christi disciplinam Antichristus Romanus metamorphosi mira transtulit in hierarchiam papisticam constantem ex ordinibus maioribus & minoribus, cum ingenti asseclarum colluuie. Ex quibus omnibus ne vnum Templo & Domui suæ, id est, Ecclesiæ, præfecit Dominus. Et isto modo fœda hæc bellua Romana characteres Christianos commutauit in Antichristianos. Interim tamen hypocrita egregius Christi nomen his prætendit, quò efficaciùs decipiat decipiendos.

Proprios autem characteres Pontifex Romanus fabricauit infinitos, quos ferè omnes in vitis Paparum legimus Nam quinq; sua sacramēta, vnctionem scilicet postremam, confirmationem, ordines papisticos, matrimonium, pœnitentiam excogitarunt. Purgatorium inuenerunt. Matrimonium, quamuis sacramentum suum, multis prohibuerunt. Scortationem publicam in Deam papisticam canonizarunt. Parentibus filios ad sacrum baptismum offerre interdicunt. Antichristianam obedientiam iurare cogunt suos sacrificulos. Imperatores & Reges iuramento obligant ouili Romano. ecclesias gestibus histrionicis, & vestibus idololatricis sumptis partim ab Ethnicis partim à Iudæis, spectabiles reddunt. Imagines ligneas, lapideas, marmoreas, alabastriticas, & multas ex his deauratas, erigunt. Execranda apotheosi mortuos deificant. Sabbatha dijs suis instituunt, & templa illis extruunt. Cruces adorant. Annatas instiuunt & portoria. Lucernas accendunt meridie. Campanas & nolas baptizant, his dæmones fugant. Ex meretricum fornicatione censum exigunt. Mortuos inuocant. Plaustra denique decretorum & decretalium inuehunt in Ecclesiam. Qui autem istam papisticam religionem, & ceremonias Antichristianas istas, & decreta hæc papalia atque huiusmodi alia profitentur, probant, aut defendunt, illi charecterem huius teterrimæ belluæ acceperunt in fronte. In manu verò acceperunt, qui secundum decreta ista Antichristiana & diabolica vitam instiuunt, faciuntque quod iusserit Antichristus Romanus. His demū licet qui characterem istum diabolicum acceperunt, emere & vendere, id est, munera sua in hoc mundo exsequi, cuiuscunque sint conditionis aut sextus. Et hi sunt, qui spiritualiter scortati sunt cum meretrice magna, id est, cum hac secunda

Qui characterem papisticum accipiunt in fronte, & qui in manu.

bellua,

bellua, Pontifice Romano, infrà cap.17.2.&c. Hi denique sunt, qui bibent ex vino iræ Dei, infrà cap.14.10.

Quisquis charecteres papisticos & diabolicos ex animo detestatur, nec velit in fronte vel in manu accipere; ei non licet emere aut vendere siue rex sit, siue subditus, siue pastor, siue populus. Contra huiusmodi enim fulminant Papæ & satellites eorum.

Aut nomen bestiæ]vt dicatur papista vel catholicus.

Aut numerum nominis eius] id est, vt habeatur in numero eorũ, qui sese speciali aliqua ratione tradunt bestiæ bicorni in obsequiũ.

Ver.18.

Hic est sapientia]epiphonema, vt in vers. 11. diximus. Sicut vers. 9 lectorem monuit vt aduerteret animum ad ea omnia, quæ de priori bestia dicta erant ab initio capitis: ita hoc versu hortatur lectorem diligenter perpendere non tam id omne, quod de secunda hac bellua dictum est à vers 11. quàm vnum illud, quod proximum versum claudebat, videlicet, numerum nominis Papæ Romani. Similis admonitio sequitur infrà cap.17,9.

Numerus eius 666.] Irenæus quasi vaticinando pulcherrimam attulit expositionem, quam nemo adhuc, quod sciam, refutauit. Sed hoc incommodi habet, quòd nullum faciat discrimen inter nomen bestiæ, & numerum nominis eius.

ANALY-

ANALYSIS CAP. 14.

Cap. 14. partes sunt quatuor

- 1. Perseuerantia fidelium diebus afflictionis prædictæ, quorum
  - 1. Externa professio vers. 1, 2, 3.
  - 2. Vita sancta ver. 4, 5.
- 2. Restitutio Euangelij vers. 6, 7.
- 3. Ruina Babylonis vers. 8,
- 4. Iudicia dei aduersus hostes Ecclesiæ, vers. 14. &c. nempe aduersus
  - Persequutores martyrocidas cap. 14. 14. Hæc describuntur ex
    - Typo duplici
      - 1. Messis vers. 14, 15, 16.
      - 2. Vindemiæ vers. 17, 18, 19.
    - Magnitudine cladis vers. 20.
  - Incredulos Papistas cap. 15. & 16.

CAP. 14.

1 *Tunc aspexi, & ecce, aderat Agnus stans super montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.*

2 *Et audiui vocem è cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam sonum tonitrui magni: & vocem audiui citharœdorum pulsantium citharas suas:*

3 *Et canentium quasi canticum nouum ante thronum, & ante quatuor illa animalia, & illos Seniores: neque quisquam poterat discere canticum illud nisi illa centum quadragintaquatuor millia, ij* videlicet *qui empti sunt è terra:*

4 *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati: virgines enim sunt. hi sequuntur Agnum quocunque ierit: hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & Agno* sacræ:

5 *Et in quorum ore non est inuentus dolus: sunt enim inculpati ante thronum Dei.*

6. *Deinde vidi alium Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret incolis terræ, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo:*

7 *Dicentem magna voce, Timete Deum, & ei tribuite gloriam: nam venit hora iudicij eius: & adorate eum qui fecit cœlum & terram, & mare & fontes aquarum.*

8 *Et alius Angelus sequutus est, dicens, Cecidit cecidit Babylon, vrbs illa magna, quia vinum iræ scortationis suæ potandum præbuit omnibus gentibus:*

9 *Et tertius Angelus sequutus est illos, dicens voce magna. Siquis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua,*

10 *Bibet hic quoque ex vino iræ Dei, ex mero* inquam, *infuso in poculum iræ ipsius: & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni.*

11 *Et fumus cruciatus eorum ascendet in secula seculorum: nec habebunt requiem die nec nocte qui adorant bestiam & imaginem eius, & siquis acceperit characterem nominis eius.*

12 *Hic tolerantia sanctorum est: hic qui obseruant mandata Dei, & fidem Iesu.*

13 *Tunc audiui vocem è cœlo dicentem mihi, Scribe, Beati ab hoc tempore mortui, ij qui Domini causa moriuntur. Etiam, dicit Spiritus: quoniam requiescunt à laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos.*

14 *Aspexi autem, & ecce* aderat *nubes candida: & super nubem*

sedebat

sedebat quidam *similis homini, habens impositam capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.*

15 *At alius Angelus prodijt è templo, clamans voce magna ad eum qui insidebat nubi, Mitte falcem tuam, & mete: quia venit tibi hora vt metas: nam aruit messis terræ.*

16 *Misit igitur is qui insidebat nubi falcem suam in terram: & demessa est terra.*

17 *Tum alius Angelus prodijt è templo quod est in cœlo, habens & ipse falcem acutam.*

18 *Et alius Angelus prodijt ab altari, habens potestatem in ignē: & clamauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutā, dicens, Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: nam maturæ sunt eius vuæ.*

19 *Misit igitur Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in magnum illum lacum iræ Dei.*

20 *Et calcatus est lacus extra ciuitatem: exiuitq́; sanguis è lacu vsque ad frænos equorum, per stadia mille sexcenta.*

ANNOTATIO.

Tunc aspexi] Quæ narrantur quinque primis versiculis huius capitis, cohærent cum capite decimo tertio, vt quæ eodem tempore gesta sunt, quo immanes duæ belluæ, scilicet Romani Imperatores martyrocidæ, & Pontifices Pessimi Maximi vexarunt ecclesiam Christi, ab eius passione & ascensu in cœlum vsque ad instaurationem Euangelij circiter annū Christi 1320. His quinque versibus ostenditur, Christum habuisse in terris aspectabilem ecclesiam, quæ toto illo tempore palam profitebatur fidem suam in eo, inuitis Imperatoribus & Papis. Huius loci duo sunt præcipua capita: nempe fidelium seruorum Christi externa professio tribus versibus, & vita sancta vers. 4. 5.

Agnus] Iesus Christus, vt Ioan. 1. 29. apoc. 5. 6. & 13. 8. & 17. 14.

Super montem Sion] Quoniam Templum Solomonis figuram gerens ecclesiæ, ædificatum fuit in Sione monte excelso, & supra cæteros montes eminente; Sion vsurpatur in sacra pagina pro ecclesia visibili, vt Esaiæ. 2. 2. Ierem. 3. 9. Micæ. 4. 1.

Et cum eo 144000.] Id est, quo tēpore Imperatores martyrocidæ per trecentos ferè annos continuos tantum luderunt christiani sanguinis, Externa professio fidelium

temporibus difficillimis.

guinis, & Papæ postea ipsissimi Antichristi infinitam hominum multitudinē falsis miraculis seduxerunt, & ad idololatriam fœdā adigerunt, nec quenquam sinerent emere aut vendere, nisi accepto stigmate aliquo antichristiano in frōte aut in manu se Romanæ sellæ obligaret, & antichristianæ obedientiæ iugum subiret: tunc vidi super montem Sionem, id est, in visibili ecclesia, tum Christum Agonothetem, tum cum eo centum quadraginta quatuor millia fidelium christianorum, qui palam & intrepidè profitebantur fidem suam in Christo, nec ad edicta Imperatorum abnegarunt Christum, nec ad nutum Papæ stigma aliquod antichristianum susceperunt vel in frontibus vel in manibus suis. Idem hic numerus fidelium est, qui suprà cap. 7. obsignatus erat in frontibus sigillo Dei, vt ibi dictum est, & partim idem tempus.

Vers.2.

Vocem è cœlo] Vocem scilicet Christi. *Tanquam vocem aquarum*] vt Ierem.10.13. Psal.29,3.& 93.3.4. Apoc.1.16. *Tanquam sonum tonitrui*] Vt suprà cap. 4.vers.5. *Et vocem audiui Citharœdorum*] Id est, fidelium hymnos sacros Deo canentium. metonymia signi, & synecdoche partis.

Vers.3.

Canticum nouum] Quod renouatur, recantatur, nunquam veterascit, sed perpetuò viget in ecclesia, vt luna noua. *Neque quisquam poterat*] Vt 1. Cor. 2, 11. &c.

Vers.4.

Vita fidelium inculpata.

Hi sunt] Vita fidelium sancta & inculpata, vt in vers. 1 diximus. *Qui cum mulieribus*] Id est, qui spiritualiter non sunt scortati cum meretrice magna, de qua infrà 17.1. Id est, cum bellua secunda, imò neque cum prima. *Virgines enim sunt*] Id est, sancti, impolluti. Ecclesia modò comparatur virgini, modò vxori. Vt nihil detrahitur virginitati quando ecclesia comparatur sponsæ aut vxori Esai.54.1.5.6. Ierem.4.9. Apoc. 19.7.& 21.2.9. ita non cedit in vituperium matrimonij, quando ecclesia comparatur virgini, Iere. 18.13.& 2.Cor.11.2. aut virginibus Math.25.1. Vnde constat insulsitas stigmaticorum papistarum, qui tantis virginitatem efferunt laudibus, vt ipsi interim ganearum nidore fœteant. *Empti sunt ex hominibus*] Id est, pretioso sanguine Christi redempti sunt ex vana sua conuersatione 1.Pet.1.18.19. *Primitiæ*] Id est, vt primitiæ olim sub lege, ita hi consecrantur Deo.

Vers.6.

Vers.6.7.

Deinde vidi] Hectenus de miserijs & afflictionibus piorum per annos mille trecentos, qui tamen per fidem & patientiam perseuerarunt vsque ad finem: nunc sequitur aliud tempus, quo magnæ fiunt rerum inclinationes. Initium temporis, quo gesta sunt quæ sequuntur, sumendum est ab anno 1300. vel 1320. vel circiter. Distributio Res quæ deinceps exponuntur sunt in vniuersum tres, nempe, 1. instauratio Euangelij versibus duobus, 2. ruina Babylonis vers. 8. 3. iudicia Dei in aduersarios suos vers. 14. & sequentibus vsque ad cap. 17. Hoc autem obiter obseruandum, liberationem ecclesiæ, & hostium excidium in idem semper tempus coincidere. Itaque hæc tria eodem tempore contigerunt.

Post annum millesimum trecentesimum sensim excitauit Dominus multos Euangelij propugnatores, quorum succenturiatus numerus ab illo tempore ad hunc vsque diem singulari Dei gratia succreuit. Nam concionatores multos in hanc messem misit Dominus, Thomam Walleys & Guilielmum Occamum Anglos, Michaëlem Cesenanum concionatorem Waldensium, & Marsilium Patauinum insignem Ludouici Bauari defensorem contra bruta fulmina Paparum Romanorum, Petrum de vineis & Arnoldum de villa noua, Thomam Longastrium Gallum & Ioannem Wiclefum Anglum, Ioannem Hussium & Hieronymum Pragensem, Thomã Rhedonensem & Ioannem Rochezanam, Nicholaum Galecum & Petrum Anglicum, Martinum Lutherum & Huldricum Zuingliũ, itemque reliquum classicorum theologorum chorum. Deinde Imperatores, reges, & magistratus, quorum mentes Dominus splendore Euangelij illustrasset, eiusdem lucis defensores extiterunt, vt Ludouicus Bauarus Imperator, qui animo forti tria excepit repulitque trium Paparum tela: Conradus de Berenfels Consul ciuitatis Basiliensis, qui in magna hominum frequentia Ludouici Imperatoris nuper mortui, partes masculè defendit contra Papistas: Philippus Valesius Rex Franciæ, qui veritatis prædicatores tutatus est inuito Ioanne 12. Pontifice: Carolus quartus Imperator, qui mandauit Archiepiscopo Moguntino abusus clericorum corrigere, aut fructus beneficiorum fisco regio præsentare, vt in meliores vsus conuerterentur: Nobilis ille Zisca, qui propugnauit concionatores fideles, quos malitiosè papistæ & ex inuidia Hussitas appellarunt. Neque desunt sequentium temporum exempla. Porrò multis cele-

Instauratio Euangelij.

Instauratores Euangelij.

 bratis

bratis concilijs Euangelium in dies singulos maiores acquisiuit vires. Denique insigne illud veritatis amplificandæ instrumentum, artem intelligo typographicam, in lucem produxit Dominus anno 1440. Atque istis modis instauratio Euangelij cæpta post annum 1300. vel 1520, tam fœlices hactenus Dei beneficio habuit & adhuc etiam habet successus. Vide quod obseruauimus suprà initio c. 10.

Vers. 8.

Ruina Babylonis.

Et alius Angelus] Ruinam denuntiat hoc versu Babylonis, vt in vers. *6.* diximus. Tempus huius prophetiæ idem est cum superiori, quam habuimus vers. *6.* & *7.* Vt enim lux tenebras dispellit, vt veritas errores detegit, vt ad præsentiam Arcæ Dei cecidit Dagon; ita ad prædicationem Euangelij corruit aduersaria potestas. Babylonis nomine Romam intelligi minimè dubitamus. Nam hoc versu dicitur vrbs magna, scilicet illa, quæ habet regnum super reges terræ, infrà cap. 17. 18. Deinde summam esse similitudinem inter Babylonem & Romam, copiosè ostendit Orosius lib. 2. cap. 3, 4, 5. & lib. 7. cap. 2. Porro antiqui Patres Irenæus lib. 5. cap. 25. Tertullianus aduersus Iudæos, & lib. 3. aduersus Marcionem, & alij, hanc interpretationem suis temporibus attulerunt.

Babylonis nomine significatur Roma.

Ruina imperij.

Intelligo autem casum tum imperij, tum papatus. Nam anno Christi 1376. Carolus quartus Wenceslaum ex filijs suis natu maiorem, in imperio sibi successorem adhuc viuens ordinare conatus est, idque pecunia. Quum enim principes electores haud facile ad eam rem trahi possent, quod virtute obtinere non potuit, pretio cōparauit, promissis cuique electori centum millibus aureis, vt ait AEneas Syluius historiæ Bohemicæ cap. 33. Deinde quum non esset soluendo, publica illis imperij vectigalia obligauit. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta est, nec posthac extollere caput imperium potuit, quum principes electores omnia sibi retinerent, Imperatoremque iureiurando adigerent, ne vectigalia vnquam reuocaret, inquit Syluius ibidem. Hinc explumatur aquila, inquit Alb. Krantz: Wandaliæ lib. 8. cap. 43. Porrò Wympfelingius rerum Germanicarum epitomes cap. 45. ex epistolis Francisci Petrarchæ narrat, Innocentium 6. Antichristum Romanum Imperatori Carolo vrbem paulo ante, & Italiam totam ademisse. Eodem tempore Papæ duo, Benedictus 12. & Clemens 6. imperium pro viribus attriuerunt. Cecidit igitur Babylon, id est, imperium Romanum circiter

ter annum 1376. partim Paparum fraude ac vi, partim venditione vel largitione Caroli. Bonam enim partem patrimonij Imperij à Papis possideri fatetur Krantzius Wandaliæ lib.11.cap.17.

Papatus inclinationẽ eodem cœpisse tempore cõstat ex eo quòd veritas in papismo ante penè demersa, tunc paulatim emergebat, cuius lumine fideles illustrati, facilè agnoscebant beatissimam bestiam secundam, quæ fœdos pedes Imperatoribus præbuit osculandos, ipsissimum esse Antichristum; & Romam vrbium dominam, Babylonem apocalypticam. Vldricus enim de Augusta Secretarius Ludouici Bauari, in quibusdam regijs literis summum Pontificem vocauit bestiam ortam è mari; & alijs conuitijs, idque ignorante Ludouico, eum proscidit, aiunt Paralipomena Abbatis Vrspergensis. Flacius Illyricus in Catalogo testium veritatis commemorat ex Henrico de Erphordia, Hayabalum quẽdam anno 1345. inter concionandum publicè solitum affirmare, se diuinitus iussum concionari, *Ecclesiam Romanam esse Babylonicam meretricem, & Papam atque Cardinales esse meros Antichristos.* Hoc idem intrepidè coram Papa Clemente 6. cum accusaretur, affirmauit. Non leue fuit ruinæ papatus præsagium, quòd aula Pontificis Auenionem in Gallia translata fuit anno 1305. vbi etiam hæserunt Papæ annis septuaginta quatuor. Sed casum eius sellæ multò magis portendebant tot tamque acerba sequentium Paparum dissidia, quæ toto illo spatio annorum 74. ijsque amplius durarunt. Vide quæ suprà annotauimus initio capitis decimi. Ruina Papatus.

Vers.9.

Et tertius Angelus] Hactenus de restitutione Euangelij, & de ruina Babylonis, vt dictum est suprà in vers.6. Priusquam accedat ad tertium locum, nempe ad iudicia Dei declaranda, interseritur hîc quinque versibus doctrina triplex: vna, de vitanda idolatria vers.9,10,11. altera, de tolerantia sanctorum vers.12. tertia de fœlicitate martyrum vers.13. Distributio. Admonitio triplex.

Vers.14.

Verſ.14.

Iudicia Dei aduerſus
- Perſequutores martyrocidas cap.14.14 Hæc deſcribuntur ex
  - Typo duplici
    - 1. Meſsis verſ.14,15,16.
    - 2. Vindemiæ verſ.17,18,19.
  - Magnitudine cladis verſ.20.
- Incredulos papiſtas cap.15.& 16.

Verſ.14.

Aſpexi etiam, & ecce] Tertio iam loco ſequuntur iudicia Dei, vt in verſ.6. dictum eſt, quæ eodem tempore exſequitur, quo eccleſiam ſuam vindicat è manibus hoſtiũ, nempe poſt annum Chriſti 1300. vt ſuprà ſæpè obſeruauimus. Hæc autem iudicia duorum ſunt generum prorſus, vt illa de quibus diximus cap.6.12. etſi quæ ibi narrantur tempore longè diſcrepant ab iſtis quæ hoc loco commemorantur. Vnum genus horum iudiciorum eſt aduerſus martyrocidas perſequutores, reliquo hoc capite: alterum, contra incredulos papiſtas capitibus duobus decimoquinto & decimoſexto. Prius iudicium deſcribitur primò duplici typo, videlicet meſſis verſ.14,15,16. & vindemiæ verſ.17,18,89. deinde hyperbolicè amplificatur verſ.20.

Iudicia Dei, quæ ſunt duorum generum.


Hæc autem ad extremum iudicium non magis trahi debent, quàm illa quæ apud Eſaiam prophetam habentur ſex primis verſiculis capitis ſexageſimi tertij. Atque hîc eſt alluſio quædam ad locum illum. Deinde infrà liquet ex toto fere capite decimo nono præcipuè ex verſ.20.& ex cap.20. verſ.10. temporale iudicium hîc deſcribi, vt & cap.15.& 16. Deniq; hîc mentio fit impiorum tantũ.

Similis filio hominis] Hunc ſuper nubem ſedentem interpretamur Ieſum Chriſtum ex ſequenti expoſitione cap.19.11.&c. Duplicem autem typum, vnum meſſis, alterum vindemiæ, certitudinẽ & celeritatem iudiciorum Dei declarare puto, vt iterata viſio Pharaonis, Ioſepho interprete Gen.41. verſ.2,5.32. Duplici hac ſimilitudine meſſis, videlicet, & vindemiæ, vtitur propheta Ioël cap.3. verſ.13. in deſcriptione temporalis iudicij.

Verſ.20.

Et calcatus] Secundò amplificat ſtragem perſequutorum trita hyperbole. Vide Pſal.58.11.& 68.24.& 110.6. Eſaiæ 18.5, vel.9.& 34.3. Ezech.32.6.& 35.8.

ANALYSIS. Cap. 15.



Cap. 15. & 16. continent iudicia Dei aduersus incredulos papistas. Horũ iudiciorũ

1. Præparatio habetur cap. 15. quæ constat
1. Conseruatione fidelium vers. 2, 3, 4.
2. Designatione administrorum nempe septem Angelorum vers. 1, 5, 6. &c.

2. Exsequutio cap. 16. contra

1. Omnes in vniuersum papistas, quatuor primis phialis effusis, quibus significantur
1. Morbi, phiala prima, vers. 2.
2. Bella & cædes in
Toto imperio, phiala secunda vers. 3.
Singulis prouincijs & regnis, phiala tertia vers. 4.
Hinc canticũ, vers. 5, 6, 7.
3. Pestis, phiala quarta vers. 8, 9.

2. Papam & Papatũ ipsum; tribus postremis phialis euacuatis. Diruitur autem papatus tribus iudicijs
1. Gladio spirituali, phiala quinta, v. 10, 11.
2. Defectione regnorum, phiala sexta, vers. 12.
3. Extrema desolatine, phiala septima vers. 17.

CAP. 15.

1 *DEinde vidi aliud signum in cœlo magnum & admirabile, An-*
gelos septem habentes plagas septem vltimas, quoniam per il-
las expleta est ira Dei.

2 *Et vidi tanquã mare vitreum mixtũ igni: & eos qui victoriam*
reportabãt ex bestia illa & imagine eius & charactere eius, ex nume-
ro nominis eius, stantes apud mare vitreum, & habẽtes citharas Dei:

3 *Qui etiam cantabant canticum Mosis serui Dei, & canticum*
Agni, dicentes, Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus
omnipotens: iusta & vera sunt via tua, rex sanctorum.

4 *Quis non timebit te Domine, & glorificabit nomen tuum? nam*
solus sanctus es. Nam omnes gentes venient & adorabunt coram te:
nam iudicia tua patefacta sunt.

5 *Et post hæc aspexi, & ecce, apertum est templum Tabernaculi testimonij in cœlo.*
6 *Et prodierunt è templo septem Angeli, habentes septem plagas, induti lino puro & candido, & præcincti circa pectora Zonis aureis.*
7 *Et vnum ex quatuor animalibus dedit septem Angelis phialas aureas, plenas iræ Dei viuentis in secula seculorum.*
8 *Et impletum est templum fumo* prodeunte *à maiestate Dei, & à virtute eius: nec quisquam poterat ingredi in templum donec explerentur septem plagæ septem Angelorum.*

ANNOTATIO.

Iudicia Dei contra papistas.

Porro vidi aliud signum] Alterum genus iudiciorum Dei quod est contra incredulos papistas vt suprà in cap. 14. vers. 14. annotauimus. Quum enim multi increduli, multi contumaces, multi contemptores puræ religionis, multi derisores, multi securi de salute sua & futuro iudicio extiterunt in Papatu, immittit nunc Dominus plagas & pœnas in incredulos & inobedientes omnes, cuiusque tandem generis aut conditionis fuerint. Quòd autem has plagas distringit Dominus contra papistas inclinante iam Papatu post annum Christi 1300, patet ex versu secundo huius capitis, vbi liberantur qui victoriam ex Pontifice Romano reportarunt; & ex cap. 16.2. vbi ex plagis septem, quæ tempore videntur ferè concurrere, prima infligitur ijs, qui characterem bestiæ acceperunt. Præterea Deum eodem tempore hæc iudicia exercere contra Imperatores martyrocidas, & incredulos papistas, liquet ex cap. 19. vers. 20. vbi bestia prima & secunda simul præcipitantur in barathrum. Denique hæ septem plagæ appellantur vltimæ, per quas expletur ira Dei contra papistas vers. 1. huius capitis. In ista prophetia plagarum septem,

Distributio.

duo ordine narrantur: præparatio videlicet cap. 15. & exsequutio cap. 16. vt obseruauit D. Franciscus Iunius. Præparationis partes

Præparatio.

sunt duæ: piorum conseruatio ab istis septem plagis vers. 2. 3. 4. & descriptio administrorum istarum plagarum vers. 1. 5. 6. 7. 8. Parenthesi prorsus includendos tres versus, scilicet, 2, 3, 4. censeo, itaq; vers. 1. per Epizeuxim repetitur vers. 5. Prætereo igitur versum primum donec ad versum quintum veniatur, & fidelium conseruationem priori loco statuo.

Vers. 2.

[*Sed vidi tanquam*] Conseruatio fidelium, vt modò dictum est,

quos in tuto collocatos vidit Propheta noster apud Deum, priusquam Angeli effundant phialas iræ Dei. Estque allusio ad liberationem Israëlitarum ex AEgypto, vt & in plagis sequentibus cap. 16. alludit multùm ad AEgyptiacas. *Mare vitreum*] Quod erat ante thronum Dei suprà cap. 4. vers. 6. vel alludit ad Exod. 14. *Mixtum igni*] Id est, quod non minus perditurum erat papistas incredulos, quàm opem laturum fidelibus protestantibus. Vt enim mare rubrum transitum dedit Israëlitis, sed AEgyptios submersit: ita salus est ad hoc mare vitreũ pro fidelibus seruis Christi, in quo peribunt infideles papistæ. *Et eos qui*] Id est, fideles qui papismo renuntiarint, & externa Antichristi Romani stigmata recusarint, & ab omni specie mali abstinuerint, & vel tunicam carnis contactu maculatam odio habuerint. *Stantes apud mare vitreum*] Id est, apud Deum, vt suprà ex cap. 4. 6. & per allusionem ad Exod. 14. vers. 2, 9. *Et habentes citharas Dei*] Id est, paratos ad Deum laudandum, vt duo versus sequentes exegeticè enarrant. Dicuntur citharæ Dei, id est, citharæ maximæ, vt cedri Dei Psal. 80. 11.

Fideles immunes seruantur ab his Iudicijs.

Vers. 3.

Canticum Mosis] Id est, sicut Moses & Israëlitæ Deum cantico celebrarunt propter suam liberationem, & Ægyptiorum submersionem Exod: 15. ita hi Deum canunt, quòd eos in medio papissimo conseruauit, & quòd nunc liberat è plagis, quas in papistas immissurus est. *Magna & mirabilia*] Summa cantici vsque ad finem vers. 4. vbi clauditur parenthesis, vt in vers. 1. diximus

Fideles liberati Deum celebrant.

Vers. 5. 6.

Post hæc (inquam) *aspexi*] Exposita fidelium seruorum Christi conseruatione, quam parenthesi diximus includendam, vers. 2. 3. 4. sequitur altera pars præparationis, nempe designatio administrorum, qui sunt exsequuturi iudicia Dei contra papistas stigmaticos, vt in vers. 1. dictum est. Itaque hîc repeto versum primum. Hi administri iudiciorum Dei sunt septem Angeli habentes septem plagas vltimas per quas expleta est ira Dei contra papistas, vers. 1. 6. qui 1. prodeunt Templo vers. 6. id est, à præsentia Dei. Templum enim est domus Dei, vbi inter cherubinos habitat, allusio ad ceremonias legis. 2. induti lino puro & candido, id est, amictu splendido,

Administri iudiciorom Dei sunt Angeli.

prout mos est in illis regionibus vestiri albis. Vide Math 28.3. Ioan. 20.12. Act.1.10. 3. Præcincti circa pectora zonis aureis, id est, parati ad munus exsequendum, vt Exod.12.11. Dan.10.5. & 2. Reg.4.29. & 9,1.

Vers.7.

Et vnum ex quatuor] Vide suprà in cap. 4. vers.4. & 6. quòd cherubius iste Angelorum ordo, septem Angelis alijs ministrat hydrias iræ Dei, vt Angelus vnus alteri dedit mandatum vindemiandi botros cap 14.18. non magis debemus mirari, quàm quòd prouidentiâ diuinâ vnus homo alteri ministrat & res necessarias, & rerum gerendarum occasionem.

Vers.8,

Et impletum est Templum fumo] Id est, ira Dei. fumus enim aliquando est signum iræ Dei, vt Psal.18.9. & 74.1. Esaiæ.6.4. & 65.5.

Cap. 16.

1 *TVnc audiui vocem magnam è templo, dicentem septem Angelis, Ite, effundite septem phialas iræ Dei in terram.*

2 *Abijt igitur primus* Angelus, *& effudit phialam suam in terram: factúmque est vulnus malum ac noxium aduersus homines qui habebant characterem bestiæ, & eos qui adorabant imaginem eius.*

3 *Deinde secundus Angelus effudit Phialam suam in mare, factúmque est quasi cruor cadaueris: & quodcunque animal viuebat in mari, mortuum est.*

4 *Tum tertius Angelus effudit phialam suam in flumina & in fontes aquarum: & facta sunt sanguis.*

5 *Et audiui Angelum aquarum dicentem, Iustus es, Domine, Qui es, & Qui eras, & Qui eris, quòd hæc indicaris.*

6 *Quoniam sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti ad bibendum: digni enim sunt.*

7 *Et audiui alium è sanctuario dicentem, etiam Domine, Deus omnipotens, vera sunt & iusta iudicia tua.*

8 *Posteà quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est ei æstu affligere homines per ignem.*

9 *Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemarunt no-
men Dei habentis potestatem in has plagas: neque resipuerunt vt
tribuerent ei gloriam.*

10 *Tum quintus Angelus effudit phialam suam super thronum
bestiæ: & factum est regnum eius tenebrosum: & mandebant lin-
guas suas præ dolore.*

11 *Et blasphemarunt Deum cœli præ doloribus suis & vlceribus
suis: nec resipuerunt ab operibus suis.*

12 *Tum sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud
magnum,* nempè *Euphraten: & siccata est aqua eius, vt pararetur
via regum ab ortu solis* aduentantium.

13 *Et vidi ex ore draconis, & ex ore illius bestiæ, & ex ore pseu-
doprophetæ illius tres impuros spiritus similes ranis* prodeuntes:

14 *Sunt enim spiritus dæmoniorum edentes signa, quiq́; abeunt
ad reges terræ & totius mundi, vt congregent eos ad prælium magni
illius diei Dei omnipotentis.*

15 *Ecce, venio vt fur. Beatus qui vigilat & custodit vestimen-
ta sua ne nudus ambulet, & videantur pudenda ipsius.*

16 *Congregarunt igitur eos in locum qui vocatur Hebraicè Ar-
ma-geddon.*

17 *Tum septimus Angelus effudit phialam suam in aërem: &
prodijt vox magna è templo cœli, à throno, dicens, Fuit. Factum est.*

18 *Factiq́ue sunt sonitus, & fulgura, & tonitrua: & terræmotus
factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt su-
per terram, terræmotus* inquam *adeò magnus.*

19 *Et dirupta est vrbs illa magna in tres partes, & ciuitates
Gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante
Deum, vt præberet ei poculum indignationis iræ suæ.*

20 *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.*

21 *Et grando magna, quasi talentaria, descendit è cœlo in homi-
nes: & blasphemarunt Deum homines propter plagam grandinis:
quoniam magna fuit plaga eius vehementer.*

ANNOTATIO.

Tunc audiui vocem] Exequutio iudiciorum Dei contra incre-
dulos papistas, vt suprà monuimus ad cap. 15.1. Sed Angeli sep-
tem administri iudiciorum aduersus papisticam impietatem, pri-
mùm cœlesti oraculo admonentur de officio vers. 1. quia nihil sine
mandato

Exequutio iudiciorum Dei.

mandato Dei: aggrediendum deinde imperata faciunt, hydriasque furoris diuini euacuant reliquo capite.

Vers. 2.

Abijt igitur primus] Accepto mandato vers.1. exsequuntur statim suum munus Angeli; ex quibus quatuor primi phialas suas effundunt contra omnes in vniuersum papistas vsque ad vers. 10. tres autem postremi effusis phialis Papam Papatumque totum prosternunt vers. 10. & sequentibus ad finem capitis. Plagæ, quibus quatuor primi Angeli stigmaticos papistas affligunt, tres esse videntur, nempe morbi & vlcera sæua phialâ primâ vers.2. tum bella & cædes, phialâ secundâ & tertiâ vers.3.& 4. denique siccitas, vnde fames ac pestis, phialâ quartâ vers. 8. & 9. Has enim plagas & eiusmodi alias transgredientibus mandata sua olim comminatus est Dominus Leuit.26.& Deut.28. ac sæpè immisit in prophanos contemptores legis, vt constat ex historia veteris Testamenti, & ex scriptoribus ecclesiasticis.

[D]istributio.

Phiala prima immittit morbos in mundum.

Factum est vulnus] Mundus ob scelera grauissimos sæpè morbos sensit, & hoc tempore etiam post instaurationem Euangelij varijs morborum generibus fuerit castigatus: sed duo sunt præ cæteris memorabiles morbi, quibus papisticæ prauitatis magistros & sectatores hoc tempore flagellauit Dominus, nempe morbus Gallicus, qui Italiam primùm, Hispaniam, Galliam, & Germaniam peruasit, quando Carolus septimus Gallorum rex per Italiam exercitum ducens Neapolim expugnauit: & morbus sudatorius, qui Marpurgi anno 1529. impediuit concordiam sanctam inter D. Lutherum, & superioris Germaniæ Theologos circa negotium eucharisticum, quæ tamen Witembergæ anno 1536. facta fuit. Hic morbus sudatorius dicitur etiam anglicus, quia Angliam tunc præcipuè afflixit.

Vers. 3.

Secunda phiala bella concitat in toto imperio.

Deinde secundus Angelus] Secundo loco duo Angeli euacuatis hydrijs ad arma conclamant & bella, quæ sunt totius Imperij communia vers.3. aut prouinciarum & regnorum propria vers.4.

In mare] Id est, in Imperium Romanum. Vide infrà 17.15. Dan.7.2.

Huius vaticinij complementum habemus anno 1312. sub Henrico septimo Imperatore, quando totos menses tres quotidianis

prælijs

prælijs in Vrbe inter Florentinos & Columnios decertatum erat, vt sanguine cæsorum plateæ fluxerint, tunc etiam quum Imperator Henricus inueheretur. Deinde anno 1314. quãdo post interregnum quatuordecim mensium electores dissentientes elegerunt duos Imperatores Ludouicum Bauarum & Fridericum Austriacũ, qui per octo continuos annos graue excitarunt bellum ciuile, & quinquies iustis prælijs dimicarunt. Denique ex eo tempore imperium continuis ferè bellis attritum fuerit.

Vers.4.

Tum tertius Angelus] Hic Angelus phialam iræ diuinæ effundit in flumina & in fontes aquarum, id est, in prouincias & in regna Imperio subiecta, quæ ita se habent ad Imperium, vt fontes & flumina ad mare. Nam vt prætercam quod commemorant Paralipomena Abbatis Vrspergensis leprosos quosdam anno 1334. à Iudæis conductos infecisse fontes aquarum pluribus in locis, vnde vehemens exorta est contagio & lues, eo quòd omnes qui vsi fuissent aqua fontali, lepram contraherent; & quod narrat Albertus Krantzius Wandaliæ lib.8.cap.22. Iudæos Noribergæ combustos anno 1350. quia fontes & puteos veneno infecerant: certum est multa in Imperio Romano regna, & prouincias, ciuitatesque varia miscuisse bella, & humano redundasse sanguine, vt omnes omnium regnorum, prouinciarum, & ciuitatum historiæ testantur. Atque toto hoc tempore ab anno 1300. aut circiter ad hodiernum vsque diem luserunt reges & magistratus fœderibus, vt pueri astragulis, & pacis ac belli, induciarum ac fœderum leges & iura mensi sunt suis commodis. Id iustum, id sanctum eis, quod ad augendam potentiam vtile. Agnoscamus igitur vindictam diuinam tum in toto Imperio Romano, tum in singulis regnis, prouincijs, & vrbibus propter papismum admissum, & Christum repudiatum, id quod subinde monent seriò Chronica Philippopeucerica sanctè & religiosè scripta.

Tertia phiala ciuiles fluctus mouet.

Vers.5,6,7.

Et audiui] Prædicta iudicia, duorum Angelorum ministerio diuinitùs aduersus crudeles & incredulos papistas inmissa vers.3.& 4. secundum legem talionis, hæc etiam duorum Angelorum testimonio comprobantur, nempe Angeli aquarum vers.5,6. & Angeli alterius vers.7. Angelus autem aquarum dicitur, quia sortitus est

præ-

Angelorũ præfecturæ. præfecturam aquarum. Sic enim Angeli præfecturas gerunt, quidam ciuitatis Ierusalem diruendæ Ezech.9.1. alij quatuor ventorum suprà cap.7.1. vnus potestatem habet in ignem suprà cap.14.18. & alter in aquam hoc in loco. Itaque honorificis verbis appellantur dominia, imperia, potestates, Coloss.1.16.

Vers.8.

Quarta phiala famem gignit & pestẽ. *Postea quartus Angelus*] Hic Angelus, phialâ iracundiæ diuinæ in solem coniectâ, æstum gignit & siccitatem ingentem, terræ sterilitatem, inopiamque rei frumentariæ, denique sitim intolerandam homines & iumenta affligentem; postremò & morbos excitantem æstuantes, vt rectè inquit Bullingerus. Idem pœnæ genus, quod prædictum est Leuit.26.16,19. Deut.28.21,22,23. & quo puniuit Deus gentem Iudæorum 1.Reg.18. Ioel 1.

Anno 1312. ingens erat pluuia per totam æstatem, vnde sequuta est fames magna, itemque pestis & mortalitas per tres annos continuos, quæ tertiam partem viuentium absumpsit.

Anno 1348. accidit memorabilis illa, & multorum celebrata monumentis, pestilentia, cuius tanta vis fuit ac sæuitia, vt quinquennio spatio magnam hominum multitudinem funesta tabe strauerit. Nam in tota ferè Europa desæuijt, vrbes, monasteria, & insulas totas deuastauit. Florentiæ sexaginta millia hominum, Lubeci nonaginta millia, Auenione innumerabiles extincti sunt.

Anno 1350. Clemens sextus Papa iubileum Romæ celebrauit, quo tempore erant quotidie (vt ex Præmonstratensi refert Balæus in Clemente isto) quinque millia peregrinorum intrantium & exeuntium Romam. Attamen tanta tum pestis triennio totam Italiam peruagauit, vt vix decimus ex millesimo homine superfuerit, vt ait Platina.

Vers.10.

Tum quintus Angelus] Hactenus de vsitatis flagellis Dei sæpè ante secundum legem Leuit.26. Deut.28. immissis in mundum, hîc autem & hoc tempore in papistas stigmaticos effusis: nunc sequuntur tres postremæ hydriæ iræ Dei, quibus tanquam copijs in aciem eductis impetitur Pontifex Romanus, & Papatus ipse funditus submitur & euertitur, vt suprà in vers. 2 diximus.

Prima igitur phiala infunditur in ipsum thronum bestiæ, scilicet secundæ, id est, Antichristi Romani. Hoc factum fuit post annum

1300.

1300. per Ioannem Wiclefum, Guilielmum Occamum Anglos, Marsilium Patauinum, Ioannem Hussium, Hieronymum Pragensem, Ioannem Rochezanem, Gregorium Hiemburg, Ioannem de Wesalia, Martinum Lutherum, & cæteros potentes prædicatores & instauratores Euangelij Iesu Christi in hac mala mundi senecta. Hi enim & alij multi eorum socij, symmistæ, & adiutores in opere Domini, spirituali gladio verbi Dei euerterunt Papam Romanum cum tota eius potestate seculari, Papatum ipsum, omnemque sublimitatem sese extollentem aduersus cognitionem Dei 2. Thess. 2. 8. Hoc iam pridem satis benè senserunt Antichristi Romani. Nam beato & fideli seruo Christi D. Martino Luthero potenter admodũ tonante Euangelium Christi, Hadrianus sextus Pontifex Romanus ad comitia Norinbergensia anno 1522. habita, Legatum suum Frãciscum Cheregatum misit, & commisit, vt liberè cõfiteretur coram, statibus imperij, in hæc verba: *Nos scimus quòd in hac sancta sede iam annis aliquot multa fuerunt abominabilia, abusus in rebus diuinis, superfluitas traditionum, & quod tandem omnia in deteriùs conuerint. Nec mirum est, quòd infirmitas à capite in membra, à Papis in minores prælatos deriuarit. Nos omnes, hoc est, prælati & ecclesiastici declinauimus, quisque in viam suam, nec iam diu fuit, Aliquis qui bonum operaretur.*

Quinta phiala thronum pontificis euertit.

Vers. 12.

Tum sextus Angelus] Alludens ad Babylonem in Assyria, & ad modum, quo illa caperetur, describit excidium Babylonis apocalypticæ, id est, Romæ, & hoc quidem in loco, Papatus Romani. Sicut enim aquis Euphratis in paludes & stagna propinqua per camporum æquora deriuatis, milites Cyri Babylonem ingrediebantur per alueum peruium iam factum & vadosum, qua nocte rex Belsazar luxurie diffluens scripturam manus vidit in tectorio: ita annatibus, primitijs, decimis, & vectigalibus regnorum, prouinciarum, ciuitatum totius Europæ, quæ tanquã per flumina Romam influere & munire solebant, aliò deriuatis, meabilis facta est via, facilisque datur aditus Romam, & inprimis Papatum adeundi & subuertendi, vt infrà declaratur cap. 17. vers. 1. & per totum ferè caput decimum octauum præcipuè à vers. 8. ad vers. 20. Atque hic est secundus modus, quo Deus Papatum euertit. Completa fuit hæc prophetia, & in

Sexta phiala Roma expugna-

Herodot. lib. 1.

dies completur, quando regna, prouinciæ, ciuitates Europææ, suscepto Euangelio Iesu Christi, meretricem illam magnam deseruerunt & deserunt, quacum antè scortabantur. Aquæ istæ siccatæ disertè vocantur populi, turbæ, gentes, linguæ infrà cap. 17. 15. Vaticinium Hieronymi Sauonarolæ fuit circa annum 1490. quendam Alpes transiturum in Italiam, Cyro similem, qui subuertere deberet Italiam. Sed quomodo huic loco accommodetur non video. Fortassis magnum illum virum Dei, D. Ioannem Caluinum animo præuidit, vel illustrissimum principem, Henricum octauum, Angliæ regem; qui vnus ex omnibus principibus in Europa, grauissimum inflixit vulnus throno pontificali.

Vers. 13, 14.

Impuri spiritus papistarum.

Et vidi ex ore] Tres isti impuri spiritus sunt Cardinales, Iesuitæ, Monachi, & in vniuersum nuntij ac legati à latere, qui ad cæteros in Europa reges & magistratus, sedi pestilentiæ adhuc hærentes, emittantur, vt eos instar furiarum infernalium indesinenter coaxando excitent ad bellum gerendum, & ad crudelitatem in pios Euangelij professores & Antichristi desertores exercendam, per inquisitores hæreticæ prauitatis, (vt ipsi vocant) aliosque scelerum magistros. Quod autem tres esse spiritus dicuntur, est numerus finitus pro infinito. Sed ecce quàm conuenit bestiæ, id est, imperatoribus Romanis, & pseudoprophetæ, id est, Papæ Romano, cum dracone, id est, diabolo, de persequutione sanctorum, qui in hoc splendore Euangelij, relicto Antichristo, sequuntur Agnum quocunque ierit. Sunt enim tres spiritus impuri quasi ab his tribus missi.

Vers. 15.

Ecce venio] Epiphonema interiectum in media oratione. Finis enim vers. 14. & principium vers. 16. cohærent. Itaque hic versus parenthesi includendus, vt verba illa Matth. 24. 15. (qui legit, animaduertat)

Papistæ retibus suis capiuntur.

Arma-geddon] Vt nominis etymologiam doctis relinquam, hunc sensum esse opinor, nempe hostes ecclesiæ, quando præliantur aduersus fideles seruos Christi, diuinâ prouidentiâ congregandos in locum eorum mactationi & stragi destinatum. Et vt locus perditionis hostium ecclesiæ appellatur *Conuallis Concisionis* Ioel. 3. 14.


3.14. ita idem locus hîc appellatur *Armageddon.* Vide Micæ.4.12.Zachar.5.8. Omnium ferè doctorum consensu receptum est, allusionem esse ad locum illum, vbi magna strage perijt Iosias,2. Chro.35.22.

Vers.17.

Tum septimus Angelus] Summa huius septimæ & postremæ plagæ continetur vers.19. vrbem scilicet illam magnam toties hoc libro nominatam, in tres partes diruptam, hoc est, Papatum funditus euersum iri. Nam quum ad Pontificatum stabiliendum conspirasset Europa ferè vniuersa, Deus, vt eum dissiparet ac disperderet, primùm plagam vnam immisit in ipsum Papatus thronum vers.10. deinde alterâ iniectâ plagâ, desiccauit flumina, quibus diuitiæ gentium in pontificatum solebant importari vers.12. nunc demum tertiâ effusâ phialâ, Pontificatum euertit atque in tres partes dispergit id omne quod ante faciebat ad Papatum constituendum. Homines igitur in Europa, qui priùs Antichristum Romanum adorabant, & cum meretrice illa magna, bestia nempe bicorni, scortabantur, iam in tres sectas abierunt. Nam alij sunt veri Euangelij Iesu Christi professores, Protestantes dicti ex quo Elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Lantgrauius, & Anhaldius se decreto Spirensi opposuerunt decimo nono die aprilis anno 1529. Sleidan. comment. lib.6. Hi Papatum ex animo detestantur. Alij in cœno papismi adhuc peruersè hærent, nec inde se auelli patientur quamuis sole clarius sit, Pontificem Romanum esse bestiam apocalypticam, nempe secundam illam bicornem de qua suprà cap.13. 11. & ipsissimum Antichristum. Tertium genus hominum, est eorum, qui neutri parti adhærentes, sequuntur Epicureismum aut Atheismum.

Septima phiala extremam pontificatus desolationem importat.

ANALYSIS. CAP.17.



CAP. 17.

1 *TVm venit vnus ex septem Angelis qui habebant septem phialas, & loquutus est mecum, dicens mihi, Heus tu, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, sedentis super aquas multas:*

2 *Cum qua scortati sunt reges terræ, & cuius scortationis vino inebriati sunt incolæ terræ.*

3 *Quûmque me per spiritum in desertum transtulisset, vidi mulierem insidentem bestiæ coccineæ, plenæ nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.*

4 *Erat autem mulier illa amicta purpura & cocco, & inaurata auro & lapidibus pretiosis & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus & immunditia scortationis suæ:*

5 Et

5 *Et in fronte suo nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater scortationum & abominationum terræ.*

6 *Et vidi mulierem illam ebriam sanguine sanctorum & sanguine martyrum Iesu, & miratus sum, quum viderem illam, admiratione magna.*

7 *Tunc dixit mihi Angelus. Quare miraris? ego dicam tibi mysterium mulieris, & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem.*

8 *Bestia quam vidisti, fuit, & non est: & ascensura est ex abysso, & in exitium abitura: mirabuntur incolæ terræ, (quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ à iactis mundi fundamentis) videntes bestiam quæ erat, & non est, & tamen est.*

9 *Hic est mens quæ habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt super quos mulier sedet.*

10 *Et reges septem sunt; quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit: & quum venerit, oportet illum breue* tempus *manere.*

11 *Bestia autem quæ erat, & non est, is octauus est, & è septem est, & in exitium abit.*

12 *Decem autem cornua quæ vidisti, decem reges sunt qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges, vna hora accipient cum bestia.*

13 *Hi vnum consilium habent, & vires ac potestatem suam bestiæ tradent.*

14 *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet eos: quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum: & qui cum eo sunt, vocati, & electi, & fideles.*

15 *Deinde dixit mihi, Aquæ quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & turbæ, & gentes, & linguæ.*

16 *Et decem cornua quæ vidisti in bestia, hi odio persequentur meretricem, & solam reddent illam & nudam, & carnes eius comedent, & ipsam igne exurent.*

17 *Deus enim dedit in corda eorum vt faciant quod placitum est ei, & vt consentiant, dentque regnum suum bestiæ donec compleantur verba Dei.*

18 *Et mulier quam vidisti, est vrbs illa magna quæ habet regnum super reges terræ.*

Annotatio.

Expoſitio præcedentium propheticarum.

Tum venit] Hactenus de prophetia ſtatus Eccleſiæ à Chriſto nato ad hæc noſtra tempora; ſequitur eiuſdem prophetiæ, aut ſaltem præcipuarum quarundam partium eius repetitio & expoſitio, vt antè ad principium capitis duodecimi docuimus. Nam primùm duas illas immanes belluas ſubobſcurè cap.13. deſcriptas, repetit & exponit Angelus hoc capite decimo ſeptimo. Deinde ruina Babylonis perbreuiter cap.14.8.& typicè cap.15.& 16.prædicta, vberiùs & planiùs exponitur cap.18.& cap.19.vſque ad verſ.11. Denique iudicia Dei cap.14.14.& ſequentibus ad finem capitis, contra beſtiam primam,& cap.16.verſ.17.&c. contra beſtiam ſecundam ſeu contra pſeudoprophetam directò & diſtrictè denuntiata, iterantur atque enarrantur apertiùs, præſertim reſpectu perſonarum quæ iudicant & quæ iudicantur cap.19.verſ.11.& ſequentibus ad finem capitis.

Tum venit vnus] Huius capitis, quo enarrantur duæ illæ feræ cap.13. prædictæ, partes ſunt duæ: occaſio enarrationis quatuor verſibus,ſcilicet verſ.3,4,5,6.& expoſitio ſeu enarratio ipſa verſ.1,2, 7.& ſequentibus ad finem capitis. Quamobrem euidentiæ gratiâ incipiemus à verſ.3. tum coniungemus duos primos verſiculos cum verſ.7.

Verſ.3,4,5,6.

Nam me per ſpiritum in deſertum tranſtulerat] Occaſio per hyſteroſin in cauſarum narrationibus frequentiſſimam, interpoſita quatuor his verſiculis, duo continet: nouam viſionem Apoſtolo exhibitam,& mirationem Ioannis poſtremis verbis verſ.6. Viſionis ſumma habetur verſ.3. deſcriptio in reliquis. Apoſtolus ſeorſim per ſpiritum ſubductus in deſertum,vidit mulierem inſidentem beſtiæ coccineæ. Hæc eſt viſio,cuius duæ ſunt partes: mulier, & beſtia coccinea. Beſtiæ deſcriptio,quòd ſit plena nominibus blaſphemiæ,& quòd habet capita ſeptem, & cornua decem,continetur in fine verſ.3. Mulier autem deſcribitur quatuor notis: primò,ex veſtitu,priori hemiſtichio verſ.4 Secundò,quòd manu teneat poculum plenum abominationibus, poſteriori hemiſtichio verſ.4.Tertiò,ex nomine ſcripto in fronte verſ.5.Quartò,quòd ebria ſit ſanguine ſanctorum priori parte verſ.6. Atque hæc eſt noua viſio Ioanni exhibita in deſerto. In qua obſeruandum eſt, primò, duas illas

belluas

belluas suprà cap.13.vers.1 & 11. visas, hîc rursus Ioanni exhibitas: secundò, ipsas hîc ostendi formâ paululum diuersâ: tertiò, secundã bestiam, nempe bicornem cap.13.11. h c sub typo mulieris exhiberi, vt vnam eandemque agnoscamus: quartò, mulierem hanc, id est, bestiam secundam insidere primæ. His obseruatis, cum tota huius purpuratæ meretricis descriptione, non erit difficile statuere, quid Babylonis apocalypticæ nomine significatur suprà cap.14. 8. & cap.16.19. & infrà cap.18.2,10. Hic igitur videmus duas belluas capitis 13. primùm alia visione ostendi his quatuor versibus; deinde exponi reliquo hoc capite. Vnde cõstat hoc caput in duas istas partes distribuendum, scilicet, quod prædictæ belluæ cap.13. hîc alia visione iterantur quatuor versibus, & tum exponuntur reliquo capite.

Et miratus sum] Ioannes hac visa visione obstupescit & admiratur valde quid sibi velit.

Vers. 1, 2, 7.

Tum venit] Hi tres versus optimè inter se cohærent. Quare & quatuor versus, quibus occasio sequentis expositionis continetur, parenthesi censeo includendos. *Tum*] Scilicet quando Ioannes obstupefactus visione mulieris insidentis bestiæ coccinæ, mirabatur valde, vnus ex septem illis Angelis, venit ad consolandum eum; atque primùm vltrò non rogatus operam suam in expositione visionis ad Ioannem defert his tribus versibus, nempe vers. 1, 2, 7. deinde, Ioanne non modò annuente, verùm etiam animi gratitudinem propter illud officium innuente, præstat quod promisit, & reliquo capite rem totam dilucidè enarrat. Duo autem primi versus per anticipationem ponuntur, vt quatuor sequentes per hysterosin. Nam Ioannes hanc mulierem bestiæ coccinæ insidentem non viderat ante ab initio huius libri. Sed quod vers.3.&c. sequitur, per anticipationem commemorat primo in loco.

Promittit autem Angelus expositionem vtriusque, nempe mulieris, & bestiæ portantis eum, id est, imperij & Papatus.

Vers. 8.

Bestia] Enarrationem superioris visionis vers. 3,4,5,6. exhibitæ, hoc loco reddit Angelus, prout promisit vers. 1,2,7. Vidit Ioannes Bestiam coccinam, typum scilicet Romani imperij, & mulierem bestiæ insidentem, id est, Papam Romanum imperio Romano incubantem.

cubantem. Huius nunc ſequitur viſionis expoſitio vſque ad finem capitis; ac beſtiæ quidem, id eſt, imperij Romani ad verſ.15.mulieris,id eſt,Papæ & Papiſmi inde ad finem capitis.

Beſtia] Id eſt,Romanum imperium. Nam cuiuis facile pateat, hanc beſtiam coccineam,& illam decem primis verſiculis capitis decimi tertij deſcriptam vnam & eandem eſſe. *Quam vidiſti*] Scilicet ſuprà poſteriori parte verſ.3. *Erat*] Deſcribitur beſtia coccinea duobus modis:primò,ex quibuſdam notis generalibus verſ.8. Secundò, ex partibus, nempe, capitibus & cornibus verſ.9. & ſequentibus ad verſ.15.

Generales notæ, quibus deſcribit beſtiam,vt ex ijſdem agnoſcatur, ſunt tres, prima hæc eſt,*Erat,ſed non eſt*: ſecunda, *aſcenſura tamen eſt ex abyſſo,& in exitium abitura*: tertia, *& mirabuntur incolæ terræ,&c.*

Erat,ſed non eſt] Prima nota beſtiæ coccineæ.Sed beſtiæ nomine caput duntaxat vnum beſtiæ ſynecdochicè intelligendum eſt,vt ex verſ.11.liquet. Sic igitur habendum. Caput vnum ſepticipitis beſtiæ, nempe imperatoria maieſtas (quæ prius cap.13. erat caput ſextum) *erat*, ſubaudi trecentis illis primis annis poſt Chriſtum, erat inquam,& perſequebatur Eccleſiam Chriſti, ſed nunc non eſt, ſcilicet, euolutis illis trecentis annis. Nam poſtea ſenſim inclinata eſt imperatoria maieſtas,ac tandem extincta anno 475.vel 480. vt ſuprà ad cap.13.11.dictum eſt. Attamen eſt, vt in fine huius verſus dicitur, quia non prorſus abolita fuit. Erant enim Imperatores Conſtantinopolitani in Oriente.

Tamen aſcenſura eſt ex abyſſo] Altera nota beſtiæ. Quamuis imperatoria maieſtas emortua videbatur plus quàm trecentis annis, Papa tamen reſtituit imaginem beſtiæ in Carolo magno anno 800. & ita beſtia, quæ primùm erat perſequens Eccleſiam Chriſti totos ferè trecentos annos vſque ad Conſtantinum magnum, & tum quaſi extincta videbatur,reuixit tandem in Carolo magno, & opē tulit Antichriſto iam tum patefacto, aduerſus Eccleſiam Dei. Atque ob hanc cauſam dicitur tum ex abyſſo aſcendere,q.d.ex inferis, vt primùm ex mari cap.13.1.tum in exitium abire propter perſequutionem contra ſanctos Dei ſeruos & martyres excitatam, vt infrà videre licet in fine capitis decimi noni.

Et mirabuntur] Tertia nota beſtiæ. Quemadmodum enim inſanus mundus beſtiam hanc ſepticipem, id eſt,caput ſextum huius beſtiæ

bestiæ admirabatur,& sequebatur,& venerabatur suprà cap.13.3,4. ita & hoc caput octauum eiusdem bestiæ,id est,imperatoriam maiestatem in Carolo magno Pontificis Pessimi Maximi arte & ingenio restitutam, admiratur.

Videntes bestiam quæ erat] Persequens Ecclesias annos trecentos. *Sed non est*] Id est, quæ postea paulatim decreuit ita vt tandẽ non erat. *Et tamen est*] Id est, aliquandiu permansit etsi non eadem, & in Imperatoribus Constantinopolitanis fuit. In ista interpretatione huius obscuri loci, attuli quod potui. Si quid erratum sit,mihi veniam dari peto.Ratio tantummodo temporis scrupulum aliquem meritò inijciat. Aliàs nihil video non apertum.

Vers.9.

Hic est mens] Hortatio faciens audientiam, vt Matth.11.15.& 13.9.& 24:15. vt suprà 13.9,18. Incertum autem est, vtrum ad præcedentia, an ad sequentia magis referatur,vtrisquè certè potest accommodari.

Septem capita] Ego alterum versum hic rectè inchoandum censeo. Est autem altera bestiæ coccinæ desciptio ex partibus, scilicet ex capitibus septem vers. 9, 10, 11. & ex cornibus decem vers.12, 13,14. vt in versum proximum diximus. Septem capita primùm significant septem montes super quos mulier sedet, vt suprà in cap. 13.1 dictum est abundè.

Vers.10.

Et reges septem sunt] De his,aut saltem de sex istorum diximus suprà ad cap.13.vers.1. *Quinque ceciderunt*] Videlicet, regia potestas,consulatus,dictatura,decemuiratus,& tribunatus. *Vnus est*] Subaudi rex,id est, forma administrationis reipublicæ Romanæ,videlicet Imperatoria maiestas. *Et alius nondum venit*] Ego Exarchatum esse opinor, qui cœpit anno Christi 570. & durauit quasi annos 160. vsque ad annum Christi 730. & hoc est breue tempus durationis eius. Papatus autem diu admodum & nimis multum temporis durauit. Quamobrem Exarchatum Rauennatem in septimum caput numero.

Vers.11.

Bestia autem] Id est,caput bestiæ.synecdoche. *Quæ erat*] Scilicet persequens Ecclesiam per annos trecentos. *Sed non est*] Id est,defecit sensim quasi lenta tabe,vt in vers.8.diximus. *Is octauus*

 est]

est] Scilicet rex, vel caput octauum, & octaua forma administrationis imperij Romani. Hic autem octauus rex, octauum hoc caput bestiæ, & octaua gubernatio imperij, est potestas imperatoria instaurata in Carolo magno anno. 800. vt sæpè suprà diximus. *Et è septem illis est*] Hoc est, nulla noua est administratio imperij à septem prioribus diuersa, sed vna ex illis septem formis gubernationis, nimirum sexta, ipsa imperatoria maiestas in Carolo magno & sequentibus Imperatoribus repetita ac renouata. *Et in exitium abit*] Scilicet, quia Papam adiuuat in sanctis persequendis.

Vers. 12, 13, 14.

Decem autem cornua] De his vide quæ suprà ad c. 13. 1. monuimus. Sicut enim reges, magistratus, præsides prouinciarum, & prætores vrbiũ per totã Europã primis illis imperatoribus martyrocidis, qui sexto bestiæ capite figurabantur cap. 13. 1. adiumento erant aduersus sanctos Dei primis trecentis annis: ita magistratus ijdem potestatem suam tradiderunt huic octauo capiti bestiæ, id est, Carolo magno & sequentibus imperatoribus, & pugnarunt cum Agno Christo, & cum sanctis eius. Sed vt in priori congressu quando potestatem suam tradiderunt reges decem primis illis martyrocidis per annos trecentos, vicerunt sancti virtute Agni, vt suprà quinque primis versiculis capitis decimi quarti videre licet: ita & hoc in loco ab Agno, videlicet in seruis suis fidelibus superantur & hi decem reges, & Imperatores ipsi, quibus potestatem suam tradunt.

Vers. 15.

Deinde dixit mihi] Bestiam vers. 3. visam, Ioanni enarrauit Angelus à vers. 8. ad hunc locum: nunc mulierem illam, meretricem magnam, scortum Romanum, beatissimum scilicet Papam exponit in sequentibus ad finem capitis, vt suprà dictum est in vers. 8. Describitur autẽ Lupa hæc Romana tribus modis: primò, vers. 15. secundò, vers. 16. tertiò, vers. 18. *Aquæ*] Prima descriptio ex loco vbi habitat scortum, vel ex populis, quibus imperat. Aquæ, inquit, quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & turbæ, & gentes, & linguæ. Sed quæritur vbinam Ioannes istas vidit aquas, non quidem suprà vers. 3, 4, 5, 6. huius capitis, quamuis id videtur Angelus innuere, neque cap. 13. 11. vbi hanc ipsam meretricem sub figura bestiæ bicornis è terra ascendentis viderat. Nemo est opinor,

nor, qui non videat visionem cap.13. hic iteratam. Verùm capite 13.vers.1. vidit Apostolus Bestiam deformem è mari ascendentem,& ita mari siue aquis imminentem & insidentem. Et imperium Romanum appellatur mare suprà cap.16.3. Huic autem informi bestiæ insidentem meretricem magnam vidit Ioannes suprà vers.3.& ita insidentem aquis multis, id est, populis,&c. q.d. meretrix ista exercet potestatem omnem primæ bestiæ, vt suprà cap.13.12.& populis imperat, quibus imperabat bestia prima. Vide suprà cap.16.12. Nulla autem meretrix per vniuersum orbem præter scortum Romanum (papistæ pontificem honorificentissimè appellant, vicarium Christi, successorem Petri,& principem orbis) imperat populis, quibus imperabant Imperatores Romani sub typo primæ bestiæ figurati. Papa igitur Romanus est meretrix hæc magna.

Vers.16.

Et decem cornua] Id est, reges & magistratus Europæi, qui priùs potestatem suam tradiderant bestiæ primæ, & ita etiam post adiutores erant Papæ in persequutione sanctorum, vt suprà vidimus vers.12, 13, 14. nunc demum efficaciter vocati per verbum Euangelij, vires suas conuertunt ad Antichristum Romanum fundẽdum, fugandum & perdendum, vt suprà vidimus cap.16.12. Hæc secunda nota meretricis, qua eam agnoscamus, nempe quam Europæi magistratus deseruerunt, & etiam his postremis temporibus post annum 1300.oppugnarunt.

Vers.17.

Deus enim dederat] AEtiologia prioris dicti. Si enim quæras cur non citiùs deuastarunt Papatum, respondet, quia diuinitùs aliter statutum erat donec complerentur verba Dei.

Vers.18.

Et mulier] Tertia nota meretricis, quòd est vrbs illa. i. Domina vrbis magnæ quæ habet regnum super reges terræ. Solus Papa est dominus illius vrbis, ergo is solus est meretrix hæc magna & ipsissimus Antichristus.

Analysis. Cap.18.

Cap 18.& cap. 19.ad vers.5. partes sunt in vniuersum quatuor

1. Prædicatio ruinæ Babylonis cap 18. vers.1,2,3.
2. Mandatum triplex pijs imperatum
   1. Vt celeriter fugiant è Babylone vers. 4
   2. Vt supplicium sumant de meretrice ver. 6 vnde sequitur fletus regum vers. 9. mercatorum vers. 11. nautarũ vers. 17.
   3. Vt lætentur de excidio Babylonis v.20.
3. Doctrina de perpetua desolatione Babylonis vers.21. vnde epinicion cap.19.1.
4. Hortatio ad Deum laudibus celebrandum cap.19 5.

Cap. 18.

1 *ET post hæc vidi alium Angelum descendentem è cœlo, haben-*
tem potestatem magnam: adeò vt terra resplenduerit gloria e-
ius.
2 *Exclamauit autem vehementer voce magna, dicens. Cecidit*
cecidit Babylon illa magna, & facta est domicilium dæmoniorum, &
custodia omnis spiritus impuri, & custodia omnis volucris immundæ
& inuisæ.
3 *Quia ex vino iræ scortationis eius biberunt omnes gentes: & re-*
ges terræ cum ea scortati sunt, & mercatores terræ opibus deliciarum
eius diuites facti sunt.
4 *Et audiui aliam vocem è cœlo dicentem, Exite ex ea popule*
mi, ne participes sitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis.
5 *Nam accumulata peccata eius pertigerunt vsque in cœlum: &*
recordatus est Deus scelerum eius.
6 *Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate ei duplum*
secundum opera eius: in poculo quod propinauit, propinate ei duplum.
7 *Quantum extulit sese & luxuriata est, tantum date ei crucia-*
tum & luctum: quia in corde suo dicit, Sedeo regina, nec sum vidua,
nec luctum videbo.
8 *Ideò vna die venient plagæ eius, mors & luctus, & fames: &*
igne exuretur, quia validus est Dominus Deus, qui damnauit eam.
9 *Tum flebunt eam, & plangent super ea reges terræ, quicum il-*
la

la scortati & luxuriati sunt, quum viderint fumum incendij eius:
10 Procul stantes propter metum cruciatus eius, & dicentes, Vah,
vah, magna illa vrbs, Babylon, vrbs illa valida, cuius vna hora venit
iudicium.
11 Sed & mercatores terræ flebunt & lugebunt super ea: quoni-
am merces eorum nemo emit amplius:
12 Merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, margaritarum,
byssi, purpuræ, serici & cocci, & omne lignum thyinum, & omne vas
eburneum, & omne vas ex ligno pretiosissimo, & ære, & ferro, &
marmore,
13 Et cinamomum, & suffitus, & vnguentum, & thus, & vinum
& oleum, & similam, & triticum & iumenta, & oues, & equos, &
rhedas, & mancipia, & animas hominum.
14 Et fructus desiderij animæ tuæ abierunt à te: & omnia pinguia
& præclara abierunt à te: nec amplius ea inuenies.
15 Harum inquam rerum mercatores diuites facti, procul ab ea
stabunt propter timorem cruciatus eius, flentes ac lugentes:
16 Et dicentes, Vah, vah, ciuitas illa magna, quæ amicta erat
bysso & purpura & cocco, & deaurata erat auro & lapidibus pretio-
sis & margaritis: quinam vna hora vastatæ sunt tantæ diuitiæ?
17 Sed & omnes gubernatores, & omnis in nauibus versantium
turba, & nautæ, & quotquot ex mari quæstum faciunt, longè stabunt,
18 Et clamabunt videntes fumum incendij eius, & dicent, Quæ
similis erat vrbi isti magnæ?
19 Et iniecto capitibus puluere, clamabunt flentes ac lugentes, &
dicentes, Vah, vah, quòd vrbs illa magna, in qua diuites facti sunt
omnes qui habebant naues in mari, pretijs eius, quæ vna hora desola-
ta est.
20 Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ,
quoniam sumpsit pœnas Deus vestræ vltionis causa.
21 Tum sustulit quidam Angelus fortis lapidem instar molæ
magnæ, & proiecit in mare, dicens, Ita cum impetu proijcietur Ba-
bylon vrbs illa magna, nec amplius inuenietur.
22 Et vox citharœdorum & musicorum, & tibiæ ac tubæ canenti-
um non audietur in te amplius: nec vllus artifex cuiuscunque artis
inuenietur in te amplius: & sonitus molæ non audietur in te am-
plius.
23 Et lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox sponsi & spon-

sæ non audietur amplius in te: cuius mercatores erant proceres terræ, & cuius veneficijs seducta sunt omnes gentes.

24 *Sed in ea sanguis Prophetarum & sanctorum inuentus est, & omnium qui mactati sunt in terra.*

Annotatio.

Et posthac vidi] Vberior expositio ruinæ Babylonis prædictæ breuiter cap.14.8. & obscurè cap.15. & 16. vt suprà in cap.17.1. annotatũ est. Huius loci partes sunt inprimis duæ, etsi historia rei gestæ potiùs declaretur, quàm methodi ratio iusta obseruetur. Prima pars est de ruina ipsa ad vers.9. altera de effectibus ruinam concomitantibus & sequẽtibus inde vsque ad cap.19.11. In parte priori hæc ordine narrantur; primùm, Angelus nuntius futuræ cladis vers.1. tum ruina ipsa vers.2. deinde ratio cladis vers.3. postremò hortatio ad fideles vt è Babylone fugiant vers.4. debitamque de ea vindictam sumant vers.6. In posteriori parte ponuntur effecta duo: vnum in ijs qui priùs scortati sunt cum ea, nempe ploratus & luctus in regibus vers.9. mercatoribus vers.11. nauarchis naucleris & nautis vers.17. alterum in ijs qui se puros à papismo & immaculatos conseruarunt cap.19.1.&c. Sed his præteritis, malim filum historiæ sequi, in qua oraculo cœlesti, nempe quatuor Angelorum ministerio res tota declaratur. Primus Angelus ruinam Babylonis generatim prædicat tribus primis versibus. Secundus tria mandat fidelibus seruis Christi; primùm induere talaria, citissimè auolare, & longissimè recedere vers.4. Deinde supplicium de meretrice sumere vers.6. vnde sequitur ploratus regum vers.9. mercatorum vers.11. & nauarchorum vers.17. Denique toto cordis affectu exultare vers.20. Tertius desolationem fore perpetuam, sine vlla spe instaurationis, docet, tum signo vers.21. tum verbo vers.22. Hinc epinicion sanctorum cap.19.1.&c. Quartus hortatur omnes sanctos seruos Dei, vt meritis eum laudibus celebrent cap.19.5.&c.

[Huius capitis & cap.19 distributio in quatuor partes.]

Vers.2.

Cecidit, cecidit] Ingeminatus clamor certitudinem rei denotat. *Babylon illa magna*] De qua suprà cap.14.8.& 16.19.& 17.5. Hoc nomine intelligitur Papatus præcipuè. *Facta est domicilium dæmoniorum*] Vt Esaiæ 13.21.

Vers.3.

Vers. 3

Quia ex vino] Ratio destructionis & ruinæ Babylonis Papisticæ.

Vers. 4.

Et audiui] Scilicet alterum Angelum, vel vocem alterius Angeli. Nam Angelorum ministerio Christus vtitur in patefactione horum mysteriorum, vt suprà cap. 1. 1. obseruatum est. Hic Angelus tria mandat piis & fidelibus, vt in vers. 1. dictum est. Primum vt fugiant citissimè ac longissimè, vt Ierem. 51. 6. Esaiæ 48. 20.

Vers. 6.

Reddite ei] Secundum mandatum Angeli, vt fideles condigno supplicio meretricem afficiant.

Vers. 9.

Tum flebunt] Quum fideles ex mandato Angeli supplicium sumpserint de meretrice Romana, tum sequetur fletus & ploratus magnus, regum terræ hoc versiculo, mercatorum vers. 9. & nauarchorum vers. 17. vt in vers. 1. diximus. Primo loco nominat reges & magnates, qui scortati sunt cum illa, eò quòd idololatriam Romanam sequuti sunt: & luxuriati sunt cum illa, quia delicijs diffluere, & genio indulgere amarunt potiùs quàm Deum sincerè colere.

Vers. 11.

Sed & mercatores] Secundo loco numerat mercatores & negotiatores terræ, id est, eos, qui acceperunt characterem in manu, aut in fronte suprà cap. 13. 16. 17. De mercatoribus istis, & de mercatura Romana, quædam scripsit Abbas Vrspergensis ad annum 1193. Baptista Mantuanus rem paucis compectitur.

Venalia Romæ,
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, corona,
Ignes, thura, preces, cœlum est venale, Deusque.

Ioannes Sleidanus commentariorum lib. 9. ait libellum quendam incerti authoris Gallica lingua facetè conscriptum in pontificios mercatores atque cauponas, prodijsse in lucem anno 1534. cuius quædam capita recenset lectu dignissima. Sed nemo nescit mercatores illos.

Vers.

Verſ. 17.

Sed & omnes gubenatores] Tertio loco ponit nauarchos, naucleros & nautas, id eſt eos omnes, qui ita operam ſuam impenderunt Pontifici Romano, vt ſolent nauarchi, naucleri, & nautæ, mercatoribus.

Verſ. 20.

Exulta] Tertium ſecundi Angeli mandatum, vt in verſ. 1. monuimus.

Verſ. 21.

Tum ſuſtulit] Tertius Angelus deſolationem Romani Papatus perpetuam fore docet typo, hoc verſu, & verbo tribus poſtremis verſibus huius capitis. Sumpta eſt oratio ex Ieremiæ cap. 51. verſ. 63. 64.

CAP. 19

1 *POſt hæc audiui vocem magnam turbæ multæ in cœlo dicentis, Halleluia: ſalus, & honor, & gloria, & virtus Domino Deo noſtro* eſt,

2 *Quia vera & iuſta iudicia eius: & meretricem illam magnam quæ corrupit terram ſcortatione ſua, damnauit, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum ex manu eius.*

3 *Deinde ſecundò dixerunt, Halleluia: & fumus eius aſcendit in ſecula ſeculorum.*

4 *Et prociderunt viginti quatuor Seniores & quatuor illa animalia, & adorauerunt Deum inſidentem throno, dicentes, Amen, Halleluia.*

5 *Tum vox è throno prodiit, dicens, Laudate Deum noſtrum omnes ſerui eius, & qui timetis eum parui & magni.*

6 *Et audiui tanquam ſonitum turbæ multæ, & tanquam ſonitum aquarum multarum, & tanquam ſonitum tonitruorum magnorum, dicentium, Halleluia: quoniam regnum iniit Dominus Deus ille noſter omnipotens.*

7 *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius parauit ſe.*

8 *Et datum eſt ei vt amiciatur byſſo puro & ſplendido. byſſus enim iuſtificationes ſunt ſanctorum.*

9 *Tum dixit mihi, Scribe, Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni*

vocati

vocati sunt. Et dixit mihi, Hæc verba Dei vera sunt.

10 *Et procidi ante pedes eius vt adorarem eum: sed dixit mihi, Vide ne feceris: conseruus tuus sum, vnus fratrum tuorum qui habent testimonium Iesu. Deum adora: testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ.*

11 *Deinde vidi cœlum apertum, & ecce* adfuit *equus albus: & qui insidebat ei, vocabatur Fidelis & Verax, &* qui *iustè iudicat & pugnat.*

12 *Oculi autem eius* erant *tanquam flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habebatq; nomen scriptum quod nemo nouit nisi ipse.*

13 *Et amictus erat veste tincta sanguine, vocatúrque nomen eius Sermo Dei.*

14 *Exercitus autem qui sunt in cœlo, sequebantur eum equis albis, vestiti bysso albo & puro.*

15 *Et ex ore eius prodibat gladius acutus, vt eo perceuteret gentes. ipse enim reget eas virga ferrea: ipse enim est qui calcat lacum vini furoris & iræ Dei omnipotentis.*

16 *Habebatque in vestimento & in femore suo nomen scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.*

17 *Tunc vidi* quendam *Angelum stantem in sole, qui clamauit voce magna, dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cœli, Adeste, & congregamini ad cœnam magni Dei.*

18 *Vt edatis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & eorum qui ipsis insident, & carnes omnium liberorum ac seruorum, paruorum ac magnorum.*

19 *Deinde vidi Bestiam illam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad gerendum bellum cum eo qui insidebat equo, & cum exercitu ipsius.*

20 *Et comprehensa est Bestia & cum ea pseudopropheta ille qui ediderat signa coram ea, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerant imaginem eius: & viui coniecti sunt ambo in stagnum ignis ardens sulphure:*

21 *Et reliqui occisi sunt gladio eius qui insidet equo, prodeunte ex ore ipsius: & omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum.*

ANNOTATIO.

Posthac audiui] Decem primi versus huius capitis pertinent ad cap. 18. ad ruinam Babylonis, vt antè diximus in cap. 18, 1. & res ip-

ſa oſtendit. Quatuor primi verſus continent epinicion, quod fideles, cùm audiſſent ruinam Babylonis irreparabilem, alternis cecinerunt Deo, vt Moſes & Iſraëlitæ Exod.15. Nam quod à prioribus canitur duobus primis verſibus, amœbæè repetitur ab alijs verſu tertio.

Verſ.4.

Et prociderunt] Epinicion Eccleſiæ, ſuo concentu claudunt Angeli, vt præclarè oſtendit D.Franciſcus Iunius.


Verſ.5.

Tum vox] Quartus Angelus monet omnes etiam denuo & amplius Deum laudibus debitis ob deſolationem meretricis magnæ, celebrare hoc verſu, quod faciunt verſ.6,7,8.

Verſ.9.

Tum] Concluſio bimembris. Priori membro Angelus confirmat Ioannem de certitudine præcedentium verſ.9. Poſteriori Ioannes in gratitudinis teſtimonium adoraturus eſt Angelum, ſed prohibetur verſ.10. vt etiam infrà cap.22.9. *Dixit mihi*] Subaudi Angelus ille, de quo ſuprà cap.17.1.

Verſ.11.



Verſ.

Verſ.11.

Deinde vidi] Nunc demum ſequitur repetitio & enarratio iudiciorum Dei denuntiatorum contra primam beſtiam cap.14.14. & contra ſecundam beſtiam cap.16.17. vt ſuprà annotauimus cap. 17.1. & ex fine huius capitis liquet verſ.20 vbi duæ illæ beſtiæ ſimul conijciuntur in ſtagnum ignis ardens ſulphure. Quare non alienum eſſet, aliud hic caput inchoare. In his iudicijs Dei contra belluas duas, tria in vniuerſum enarrantur: primùm enim habetur deſcriptio duorum aduerſorum exercituum ab hoc loco ad medium verſ.19. deinde prælium, quod innuitur in fine verſ.19. denique victoria verſ.20,21.

Exercituum illorum prior deſcribitur vſque ad verſ.19. poſterior priori parte verſ.9. Quod attinet ad priorē exercitum, eius deſcriptio primùm continetur verſibus ſex; tum, quaſi æneator quidam triumphum caneret ante victoriam, volucres inuitantur ad cœnam magni Dei verſ.17,18.

Ecce (adfuit) *equus albus*] Prioris exercitus deſcriptio, vt modo dictum eſt, in qua agitur primò de imperatore verſ.11,12,13. Secundò, de militibus voluntarijs verſ.14. Tertiò, de armis verſ.15. Quartò de inſignibus verſ.16. *Et qui inſidebat ei*] Deſcriptio Imperatoris, & talis quidem, vt Chriſtum eſſe nemo poſſit diffiteri.

Verſ.14.

Exercitus] Deſcriprio militum Chriſti, vt dictum eſt. *Veſtiti byſſo*] Vide octauum verſiculum huius capitis.

Verſ.15.

Et ex ore] Ex inſtrumentis bellicis ſolo gladio ſpirituali vtitur Chriſtus, qui ſufficit ad hoſtes fundendos & perdendos. Vide Epheſ.6.12.&c. Eſaiæ 11.4.

Is eſt qui calcabit lacum] Vt ſuprà cap.14.20. Vnde idem eſſe iudicium perſpiciamus.

Verſ.16.

Habebatque in veſtimento] Quemadmodum principes inſignia quædam imperij ſibi ſumunt, quo venerabiliores ſint & auguſtiores, vt oſtendunt Plinius hiſt.nat.lib.10. cap.4. & Auentinus lib.5. annalium Boiorum in Henrico quarto: ita hoc nomen ſcriptum in veſtimento & in femore Chriſti, eſt inſigne maieſtatis ſupremæ.

Verſ.17.

Tum vidi] Sarcaſtica hoſtium ad pugnam prouocatio, vt inquit doctiſſimus Iunius, eò quòd certus de victoria ante congreſſum, aues cœli inuitat ad conuiuium magni Dei.

Verſ.19.

Deinde vidi] Alterius & aduerſi exercitus deſcriptio, vt in verſ. 11. dictum eſt. Huius duo ſunt imperatores ſummi, beſtia ſepticeps, & pſeudopropheta, vt patet ex verſ.20. quibus in ſubſidium veniunt reges terræ. Milites item ſunt multi. Magnæ ſunt igitur copiæ hoſtium Eccleſiæ.

Beſtiam illam] Scilicet primam, de qua cap.13.1. & ſecundam, de qua cap.13.11.


Congregatos ad gerendum bellum cum eo] His verbis ſignificatur prælium commiſſum, alludit ad cap.16. verſ.14, 16. vt intelligamus locum illum hîc enarrari.

Verſ.20.

Et comprehenſa eſt] Victoria, vt in verſ. 11. diximus. *Beſtia*] Nempe prima, id eſt, imperium & Imperatores Romani, qui perſequuti ſunt Eccleſiam Dei. *Pſeudopropheta ille*] Id eſt, Antichriſtus Romanus, beatiſſimus ſcilicet Papa. Eant nunc Pontifices Romani Peſſimi Maximi, & glorientur de plenitudine ſuæ poteſtatis in cœlo, in terra, & apud inferos.

ANALYSIS.

ANALYSIS. Cap. 20.



CAP. 20.

1 *DEinde vidi Angelum descendentem è cœlo, qui habebat cla-*
uem abyssi, & catenam magnam in manu sua.
2 *Qui apprehendit draconem: serpentem* inquam *illum antiquum,*
qui est diabolus & Satanas: & vinxit eum ad *annos mille.*
3 *Coniecitq; eum in abyssum, quam occlusit, & obsignauit super*
eum, vt non seduceret amplius gentes, donec complerentur anni mille:

nam postea oportet eum solui ad exiguum tempus.

4 *Deinde vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est eis: & animas eorum qui securi percussi sunt propter testimonium Iesu, & propter sermonem Dei, quique non adorarunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus suis, aut in manibus suis: vixerque & regnabunt cum Christo mille annis.*

5 *Reliqui verò ex mortuis non reuiuiscent donec expleti fuerint mille anni. Hæc est resurrectio prima.*

6 *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in hos* enim *secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis.*

7 *Quum verò expleti fuerint mille anni, soluetur Satanas è carcere suo.*

8 *Et exibit vt seducat gentes quæ sunt in quatuor angulis terræ, Gog & Magog, vt congreget eos in prælium: quorum numerus est sicut arena maris.*

9 *Ascenderunt igitur super latitudinem terræ, & circumierunt castra sanctorum, & vrbem dilectam: sed descendit ignis à Deo è cælo, qui deuorauit eos.*

10 *Et diabolus qui seducebat eos, coniectus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia & pseudopropheta: & cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.*

11 *Tum vidi thronum magnum candidum, & quendam ei insidentem, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, quorum locus non est inuentus.*

12 *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu Dei, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est* liber *vitæ: iudicatique sunt mortui ex ijs quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.*

13 *Et reddidit mare mortuos quos habebat: Mors quoque & infernus reddiderunt mortuos quos habebant: & iudicatũ est de singulis secundum opera ipsorum.*

14 *Infernus autem ac Mors coniecti sunt in stagnum ignis: quæ est mors secunda.*

15 *Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis.*

Annotatio.

Deinde vidi] Secundam Ecclesiæ in hoc mundo peregrinantis & militantis prophetiam capite duodecimo inchoatam, ibi diximus esse duplicem: priorem de rebus in Ecclesia gestis à Christo nato ad hæc nostra tempora, ab initio cap. 12. huc vsque perduximus; posteriorem de rebus Ecclesiæ ab instauratione Euangelij, id est, ab anno Christi 1300. vel 1320. ad finem seculi iam aggredimur hoc capite explicare. Huius autem capitis partes sunt in vniuersum duæ: vna, prophetia rerũ in Ecclesia & de Ecclesia ab anno 1320 ad consummationem seculi decem primis versibus; altera, descriptio finis seculi vers. 11. & sequentibus ad finem capitis. Prophetiam antecedit præparatio quædam sex primis versiculis, qua summatim perstringuntur & repetuntur res duæ gestæ ab anno Christi 320. ad annum 1320. nempe vincula Satanæ ad annos mille tribus primis versibus, & status Ecclesiæ per eosdem annos mille, vers. 4, 5, 6.

Angelum] De Angelo, claue, & catena non est anxie disquirendum, quum propter tarditatem nostram Deus nobiscum balbutire, & quasi pueriliter ad captum nostrum loqui necesse habeat.

Vers. 2.

Annos mille] Mille isti anni incipiunt diebus Constantini magni post horrendas illas decem persequutiones, quas commouit diabolus per Romanos Imperatores martyrocidas, quibus potestatem suam tradidit suprà cap. 13. 2. De ipso articulo temporis non est facile statuere, neque necesse curiosè laborare. Vicesimum sumo annum Imperij Constantini, qui est annus Christus 320. quia eodem anno habebatur celebre illud concilium Nicænum in Bithynia. Vinctus autem dicitur Satan & constrictus vinculis, eò quòd misericors Pater noster cœlestis apertum eius furorem atque rabiem frænare tunc dignatus sit & inhibere. Ex eo tempore enim quo Constantinus magnus pacem reddidit Ecclesijs, diabolus aperto marte non oppugnauit Ecclesiam, vt prius fecerat per annos trecentos. Nam primis illis trecentis annis, tantum odium nominis Christi inseuit in animis gentium, & præsertim Imperatorum Romanorum, vt promiscuè sæuitum sit in omnes, sine vlla sexus, ætatis, aut dignitatis ratione, qui se Christianos professi sunt. Postea verò, hoc furore diuinâ clementiâ cohibito, diabolus occultè & cuniculis

insidiatus

insidiatus est fidelibus, & Christi nomine clanculum Christianos oppugnauit per annos mille vsque ad annum 1320. quando Christus libertatis nostræ vindex, instaurato Euangelio, quod in papisticam ignorantiam, quam pontifices filij diaboli appellant religionem, cõuersum ferè erat, eripuit nos è potestate tenebrarum. Non autem otiosus erat diabolus his mille annis, aut ita constrictus vt nihil prorsus ageret. Sed qui magnam suam potestatem tradidit Imperatoribus martyrocidis per annos trecentos ad apertam persequutionem, eandem postea concessit suprà cap.13.12. bestiæ secundæ, beatissimis scilicet Papis, Antichristis Romanis, vt per annos mille clandestinis insidijs sub nomine vicarij Christi, successoris Petri, Ecclesiæ cacolicæ, & plenitudinis potestatis, perderet Ecclesiam Christi, si fieri potuisset. Sed Deo gratias agamus indesinenter, quòd non permittit diabolo & filio eius Pontifici Romano, vt faciant quod exoptant. Decreuerunt enim illi, ne quis posset emere aut vendere, nisi qui habeat characterem Papæ Romani, suprà cap.13.16,17.

Vers.3.

Vt non seduceret] Scilicet aperto marte, & tam crudeli persequutione, vt antè fecerat. *Postea oportet*] Id est, expletis mille annis, diabolus rursus incipiet furere & insanire, id quod factum fuit anno 1320. vt infrà dicitur vers.7,8,&c.

Vers.4.

Deinde vidi sedes] Vincula Draconis vidimus tribus primis versibus: sequitur status Ecclesiæ per illos annos mille quibus vinctus erat Satan, vt in vers.1. diximus. Est autem duplex status Ecclesiæ toto illo tempore: vnus, verè fidelium hoc versu, alter, hypocritarum vers.5. His subiungitur epiphonema vers.6.

Vidi sedes] Status verè fidelium ab anno Christi 320. ad annum 1320. nempe, quòd illo temporis spatio regnarunt omnes cum Christo, quatenus sunt membra capiti coniuncta, qui securi sunt percussi propter testimonium Iesu, & qui bestiam non adorarunt, nec characterem eius acceperunt, vt suprà vidimus quinque primis versiculis capitis decimi quarti.

Vers.5.

Reliqui verò] Status hypocritarum, vt in versum proximum diximus.

Reliqui mortuorum, vel ex mortuis] Omnes homines, tam verè fideles vers. 4. quàm hypocritæ hoc versu, omnes inquam mortui sunt in Adamo. Hæc est prima mors. Ex hac morte vindicauit Christus omnes, qui in eum credunt, & illi regnabunt cum eo. Hæc est resurrectio prima. Itaque verè fideles, qui noluerunt bestiam adorare, neque characterem eius accipere, è prima illa morte resuscitatos, vidimus vers. 4. regnare cum Christo totis illis mille annis. Reliqui verò mortuorum, qui non credunt in Christum, nec eum sequuntur quocunque ierit, sed hypocritæ sunt, &, quamuis se nudo Christi nomine palliant, & occultos latere putant, bestiam adorant, & characterem eius accipiunt, non reuiuiscent, id est, non regenerentur, non liberentur à morte illa prima, sed totis illis mille annis in prima morte iacent. Hæc conditio & status operariorum papistarum.

Vers. 6.

Beatus] Epiphonema, vt dictum est in vers. 4. Resurrectio prima est, quando à peccatis, in quibus nascimur & mortui sumus, in nouam vitam resurgimus. Resurrectio secunda est quando corporibus è sepulchro resuscitatis nouissimo die, recipiemur in cœlum, & perpetuò regnabimus cum Deo. Mors prima est, qua in Adamo peccante omnes mortui sumus. Mors secunda est æterna condemnatio in fine seculi.

Ioan. 3. 36. & 8. 51. 1. Ioan. 3. 14 Ioan. 5. 24.

Mille annis] Id est, non solum illis mille annis, quibus ligatus erat Satan, sed in æternum.

Vers. 7.

Quum verò expleti] Hic versus est transitiuus à præparatione, quam diximus, & à breui repetitione rerum in Ecclesia gestarum ab anno 320. ad annum 1320. ad sequentem prophetiam de statu Ecclesiæ post solutum Satanam, id est, post annum 1320. ad finem vsque mundi. Huius prophetiæ partes sunt duæ: vna prædicit Satanæ malitiam versu octauo & priori hemistichio versus noni; altera eius perditionem posteriori hemistichio versus noni & versu decimo. Qui per annos illos mille domesticus erat latro, nunc rursus se apertum hostem prodit post instauratum Euangelium. Tam ægrè fert lucem Euangelij.

Verſ.8.

Et exibit] Malitia & furor Satanæ iam ſoluti anno 1320. Rabies eius cernitur primò, quòd ſeducit gentes hoc verſu: ſecundò, quòd eas ducit contra Eccleſiam priori parte verſus noni.

Seducat gentes] Gentium nomine intelligendi ſunt ij, qui perſequuti ſunt Eccleſiam ab inſtauratione Euangelij anno 1320. ad hanc vſque diem, & qui perſequuturi ſunt ad finem mundi. Quare papiſtas & pontificios omnes, qui ſellæ Antichriſtianæ tyrannidem quouis modo tutantur, hoc loco intelligimus; item Turcas, qui anno Chriſti 1300. prodierunt ſub Ottomanno, à quo Imperatores eorum, qui his temporibus fuerunt, originem trahunt. *Gog & Magog*] Alludit tantum ad prophetiam Ezechielis cap. 38. & 39. Quemadmodum enim Eccleſia Iudæorum grauiſsimè affligebatur per Gogum & Magogum poſt reditum è Babylone & ante primum Chriſti aduentum: ita diabolus Pontificios omnes in Europa, & Turcas in Aſia, quaſi alteros Gogos & Magogos excitauit ab anno 1300. vel 1320. contra Eccleſiam, vt eam funditus perderet, ſi fieri poſſet, antequam Chriſtus ſecundò veniat ad iudicium. *Vt congreget eos in prælium*] Contra Eccleſiam. *Quorum numerus*] Sub ſignis diaboli militarunt omnes per Europam papiſtæ, & Turcæ in Aſia.

Verſ.9.

Aſcenderunt igitur] Huius prophetiæ complementum per papiſtas in Europa, elegãter admodum & religioſè ſermone Anglicano declarauit ſanctus ille vir Dei D. Ioannes Foxus in martyrologio ſuo. Turcarum copiæ in Aſiam minorem & magnam Europæ partem infuſæ, Chriſtianum nomen odio capitali ſunt perſequutæ. Duo enim primi Turcarum Imperatores, nempe Ottomannus & Orchanes intra annos quinquaginta, vrbes regioneſque Aſiæ clariſſimas longè latèque ſubiugarunt. Duo ſequentes proximè Imperatores, Amurathes primus & Baiazethes minori annorũ curriculo in Græciam traijciunt, arceque belli in Cherſoneſo conſtituta, Thraciam, Miſiam, Bulgariam, & adiacentes regiones peruadunt, atque Conſtãtinopolim poſt octo annorum obſidionem cæpiſſent, niſi Tamerlanes Scytha Baiazethem ab obſidione Bizantina procul in Aſiam abſtractum ad Stellam montem ſuperaſſet. Anno 1444. die 10. Nouembris accidit clades illa Varnenſis tot doctorum ſcrip-

tis

tis celebrata, qua Amurathes ſecundus victoriam ex Christianis principibus reportauit, quos Antichriſtus Romanus Eugenius quartus cum ſuo Cardinale Iuliano in Armageddon congregaſſet, vt ſuprà cap.16. verſ.16. Et quamuis Georgius Caſtriotus Epiri dux, propter animi magnitudinem Scanderbeius vel Scanderbegus dictus, q.d. Alexander magnus, cui pugnam ingredienti, è labris, æſtuantis animi vehementiâ, ſanguinem erupiſſe aiunt, Turcarum victorias paulisper retardauit: tamen Mahometes ſecundus anno 1453. ſecundo die Iulij Conſtantinopolim expugnauit, & antiquiſſimum orientis imperium euertit. Solymannus anno 1521. Belgradum, quæ & Alba græca dicitur, totius Vngariæ propugnaculū in ſuam poteſtatem redegit. Anno 1541. Budam Hungarorum regiam occupauit.

Sed deſcendit ignis] De malitia Satanæ ab initio verſus octaui hactenus dictum eſt; ſequitur eius ſubuerſio vt in verſ.7. annotauimus. Atque primùm miniſtri ac ſatellites diaboli, Papiſtæ & Turcæ ſuperantur reliquo hoc verſu, niſi quis malit hîc verſ.10. inchoare: deinde ipſe Satan in infernum præcipitatur verſ. 10. Quomodo Dominus ſpiritu oris ſui fudit papiſtas ſæpiùs, ex quo inſtaurauit Euangelium, nemini fere ignotum eſt, & ſuprà cap. 16. vidimus, poſtremam autem de duobus magnis papiſtarum ducibus, videlicet, Imperatoribus & Pontificibus Romanis, victoriam partam, & ſupplicium de illis exercitibuſque eorum ſumptum ſuprà vidimus cap. 19. verſ. 11. & ſequentibus ad finem illius capitis. Superatos ſæpe Turcas & diuina vindicta coercitos docent hiſtoriæ. Poſtrema tamen eorum clades nondum venit, ſed breui futura eſt.

Verſ.10.

Et diabolus]. Poſtrema hæc damnatio Satanæ erit in fine ſeculi. Sed ipſum poſt abolitum papiſmum, vexare fideles ſeruos Chriſti hinc liquet, eò quòd Imperatores & duces papiſtarum in ſtagnum ignis coniecti ſunt primùm, quibus poſtea ſuo tempore diabolum aggregabit Dominus.

Verſ.11.

Tum vidi] Secunda pars capitis, deſcriptio extremi iudicij, vt in verſ. 1. diximus. Deſcribitur autem iudicium ex perſonis primùm, tùm ex rebus geſtis. Perſonæ ſunt Iudex verſ. 11. & ij qui iudicandi

sunt vers. 12. Res gestæ sunt forma & modus iudicij, quo libris apertis examen atq; disquisitio fit reproborum posteriori parte vers. 12. sententia pronuntiatur posteriori parte vers. 13. & exsequutio iudicij ac sententiæ latæ habetur vers. 14, 15. *Thronum*] Descriptio Christi iudicis.

Vers. 12.

Et vidi mortuos] Omnes, præsertim reprobi comparent coram tribunali Christi priori parte huius versus. Ratio huius redditur priori parte vers. 13. καὶ ἔδωκεν, nam reddidit mare mortuos quos habebat, mors quoque & infernus reddiderunt mortuos quos habebant.

Et libri aperti sunt] Modus & forma iudicij, quo primò duo aperiuntur libri, quorum primus liber, est conscientia reproborum, alter appellatur liber vitæ, in quo scilicet scribuntur nomina electorum, qui prædestinati sunt ad vitam æternam. Deinde disquisitio fit & examen reproborum tantum ex ijs quæ scripta sunt in libris, scilicet primis, id est, conscientijs eorum.

Vers. 13.


Et iudicatum est] Pronuntiatio sententiæ de reprobis tantum. Nam qui credit in Christum habet vitam æternam, καὶ εἰς κρίσιν, & in iudicium, id est, examen non veniet, sed transit à morte (scilicet prima) in vitam, subaudi æternam Ioan. 5. 24. Vide suprà vers. 6.

Vers. 14, 15.

καὶ ὁ θάνατος, *mors autem & infernus*] Exsequutio sententiæ latæ. Mors & infernus ponuntur pro hominibus in peccato mortuis & in sepulchro conditis, vel in cæcitate ambulantibus.

ANALYSIS.

ANALYSIS. Cap.21.& 22.



CAP. 21.

1 *DEinde vidi cœlum nouum & terram nouam: primum enim cœlum & prima terra abierat: & mare non amplius extabat.*
2 *Et ego Ioannes vidi sanctam vrbem Hierusalem nouam, descendentem à Deo è cœlo, paratam vt sponsam ornatam viro suo.*
3 *Et audiui vocem magnam è cœlo, dicentem, Ecce, tabernaculum Dei est cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi, populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit, Deus ipsorum.*

4 Et absterſurus eſt Deus omnem lachrimam ab oculis eorum:
& mors amplius non extabit, neque luctus, neque clamor, neque do-
lor extabit amplius. quia prima abierunt.
5 Et dixit is qui inſidebat throno, Ecce, noua facio omnia. Et
dicit mihi, Scribe: nam hæc verba fidelia ſunt & vera.
6 Et dixit mihi, Actum eſt: Ego ſum & initium & finis. Ego
ſitienti dabo ex fonte aquæ viuæ, gratis.
7 Qui vicerit, poſſidebit omnia: & ero ei Deus, & ipſe erit
mihi filius.
8 Timidis autem, & incredulis, & execrabilibus, & homicidis,
& ſcortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendaci-
bus, pars aſſignata eſt in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt
mors ſecunda.
9 Tum venit ad me vnus ex ſeptem illis Angelis qui habuerant
ſeptem illas phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis: & loquutus eſt
mecum, dicens, Veni oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni.
10 Et ſuſtulit me per Spiritum in montē magnum & ſublimem,
& oſtendit mihi vrbem magnam, ſanctam inquam illam Hieruſa-
lem, deſcendentem è cœlo à Deo.
11 Habentem gloriam Dei, & cuius lumen erat ſimile lapidi
pretioſiſſimo, tanquam lapidi iaſpidi inſtar chryſtalli ſplendenti.
12 Habebat autem murum magnum & ſublimem, habentem
portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & nomina in-
ſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael.
13 Ab oriente erāt portæ tres: ab aquilone, portæ tres: ab auſtro,
portæ tres: ab occaſu, portæ tres.
14 Et murus vrbis habebat fundamenta duodecim, in quibus
erant duodecim nomina Apoſtolorum Agni.
15 Porrò is qui loquebatur mecum, habebat calamum aureum
vt metiretur vrbem, & portas eius & murum eius.
16 Vrbs ipſa verò quadrangularis eſt: cuius longitudo tanta eſt
quanta & latitudo. Menſuſque eſt vrbem calamo, ad ſtadiorum
duodecim millia: ſuntque longitudo & latitudo & altitudo eius æ-
quales.
17 Et menſus eſt murum eius, centum quadraginta quatuor cu-
bitorum, menſura hominis, quæ eſt Angeli.
18 Erat autem ſtructura muri eius ex iaſpide, ipſa verò vrbs au-
rum purum, & ſimilis vitro puro.

19 *Et fundamenta muri vrbis omni lapide pretioso ornata, fundamentum primum* erat *iaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, smaragdus:*

20 *Quintum, sardonix: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octauum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrisoprasus: vndecimum, hyacinthus: duodecimum, amethystus.*

21 *Duodecim autem portæ, duodecim margaritæ* sunt, *& singulæ portæ, ex singulis margaritis sunt: forum vrbis, aurum purum, tanquam vitrum perlucidum.*

22 *Nec templum vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est, id est, Agnus.*

23 *Neque vrbs ista eget sole vel luna, vt luceant in ea: nam gloria Dei illustrauit eam, & lucerna eius est Agnus.*

24 *Et gentes quæ seruatæ fuerunt, ambulabunt ad lucem eius: & reges terræ gloriam suam & honorem ad eam adferent.*

25 *Nec portæ eius claudentur interdiu: nox enim non erit illic.*

26 *Et adferetur gloria & honor Gentium ad eam.*

27 *Non intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium* loquitur: *sed qui scripti sunt in libro vitæ Agni.*

Annotatio.

Deinde ostendit] Expositâ duplici prophetiâ de statu militantis ecclesiæ ab initio capitis quarti ad hunc vsque locum: sequitur demum triumphantis ecclsiæ in cœlis prophetica descriptio duobus istis postremis capitibus, vt suprà ad cap.4.1 monuimus. Hîc autem duo restant declaranda, nempe prophetia ipsa toto hoc capite & nouem primis versibus capitis vicesimi secundi; & conclusio totius libri Apocalypse-s cap. 22.10.& sequentibus ad finem libri. Prophetiæ partes sunt in vniuersum duæ: propositio octo primis versibus, & propositionis enarratio vers 9. & sequentibus. Propositio duabus constat partibus, scilicet visis vers.1.2. & auditis vers. 3.&c. In ipsa visione Apostolus Ioannes vidit duo: nouum cœlum, nouamque terram, quasi totius machinæ mundi renouationem vers.1. & nouam vrbem Hierusalem cœlestem vers.2.

Vers.3.4.

Et audiui] De visis dictum est, sequuntur audita. Audit Ioannes

nes vocem Dei, qui antegressam visionem primò exponit vers.3. 4. secundò confirmat vers.4. &c. tertiò corrigit in fine vers.6.&c. *Ecce tabernaculum Dei*] Expositio visionis.q.d. nihil aliud sibi volunt cœlum nouum, terra noua, & noua Hierusalem, quæ vidisti vers.1.2. quàm Deum nunc Tabernaculum suum cum hominibus habiturũ & cum illis habitaturum, vt lachrymis abstersis, quas ante vbertim effuderant propter absentiam Domini, deinceps tripudient ac lætentur in seculum seculorum.

Vers.5.

Et dixit is] Confirmatio visionis & eius expositionis, vt modo dictum est. Est autem quadruplex.

1 Prima, Ecce, noua facio omnia. q.d. tempus instaurationis omnium, sicut sæpe prædictum fuit à prophetis, iam adest, & noua facio omnia. Itaque in posterum semper habitabo cum hominibus.

2 *Scribe*] Secunda confirmatio, qua Deus iubet Apostolum prædictam visionem & expositionem eius literis prodere, & communicare cum fidelibus, quia hæc verba fidelia sunt & vera. *Qui insidebat throno*] suprà cap.4.2.3.

Vers.6.

3 *Etiam dixit mihi*, γέγονε, *factum est*] Tertia confirmatio q.d. non prædico nunc futura, sed quod tibi ostensum est vers. 1. 2. & expositum 3.4. factum iam puta.

4 *Ego sum* Α *&* Ω. *initium & finis*] Quarta visionis & expositionis confirmatio. q.d. sicut ego sum primus & vltimus, qui mentiri non possum, ita hæc certa & vera esse credito.

Ego sitienti dabo] Epanorthosis siue correctio, qua prædicta visio, expositio, & confirmatio quadruplex generatim enuntiata, nunc restringuntur ad duo tantum hominum genera, nempe sitientium reliquo hoc versu, nisi malis nouum hîc inchoare versum, & victorum vers.7. q.d. non omnibus in vniuersum hominibus nouum creo cœlum, lachrymas abstergo, &c. sed tantum sitientibus & desiderantibus ista, itemque victoribus, qui virtute Agni vicerunt mundum, diabolum, & proprias concupiscentias. Cum his tantum habitaturus sum.

Vers.9.

Verſ.8.

Timidis] Illuſtratio antecedentis correctionis per contrarium. q.d. huiuſmodi timidis &c. non creo nouum cœlum, nec habitabo cum illis.

Verſ.9.10.

Tum venit] Enarratio antecedentis propoſitionis, vt in verſ.1. dictum eſt. Conſtat autem duabus præcipuè partibus, nempe expoſitone ciuitatis nouæ Hieruſalem ſuprà viſæ verſ.2. ab hoc loco ad cap. 22.6. & confirmatione expoſitionis cap. 22.verſ.6. & ſequentibus.De noua Hieruſalem tria in vniuerſum exponit, videlicet pulchritudinem eius verſ. 11. ſtructuram eius verſ. 12. & ſequentibus ad finem capitis, & commoditates eius cap. 22.1.Duobushis verſiculis 9.& 10. pollicetur tantùm Angelus ſe nouam Hieruſalem Ioanni expoſiturum.

Verſ.11.

Habentem gloriam] Prima expoſitio nouæ Hieruſalem, nempe decoris & pulchritudinis eius, vt in verſ.9. diximus.

Verſ.12.

2 *Habebat*] ſecunda expoſitio nouæ Hieruſalem, nempe ſtructuræ & fabricæ eius, vt in verſ.9. dictum eſt. Hic primùm quaſdam partes tantum exponit ab hoc loco ad verſ.22. deinde per anticipationem reddit rationem, cur non reliquas item ciuitatis partes exponat verſ.22. & ſequentibus. Ciuitatem Hieruſalem duobus tantùm modis deſcribit: primò, ex forma verſ. 12. ſecundò, ex materia verſ. 18. In forma deſcribenda, muri inprimis habet rationem, tum vrbis verſ.15.16.17. Muri formam deſcribit primò ex portis duodecim, quæ in eo ſunt verſ. 12.13. ſecundò, ex fundamentis duodecim, in quibus ſunt duodecim nomina Apoſtolorum Agni verſ.14. tertiò, ex menſura verſ.15. qua metitur vrbem verſ.16. & murum verſ. 17.

Verſ.18.

Erat autem] Deſcriptâ formâ muri & vrbis, materiam oſtendit ſolidi parietis eſſe ex iaſpide, priori parte verſ.18. ciuitatis, eſſe aurum, & ciuitatem ipſam totam eſſe aurum, & ſimilem vitro, poſteriori parte verſ.18. materiam verò fundamenti muri, eſſe ex lapide pretioſo verſ.19. 20. duodecim portarum, eſſe ex margaritis pri-

ori parte vers.21. fori autem ciuitatis, esse ex auro puro posteriori parte vers.21.

Vers.22.

Sed Templum non vidi in ea] Per anticipationem anteuertit obiectiones tres, de templo, de lucernis, de valuis portarum. Ne enim interroget quis cur tria ista non describat, proleptice subijcit primò Templum in sancta ista & noua vrbe esse nullum, quia Deus Templum illius est vers.22. secundò, nihil ibi opus esse sole, luna, aut lucernis, quia Agnus est lucerna eius vers.23.24. tertiò, non opus esse valuis quibus noctu claudentur portæ, quia ibi nulla erit nox vers. 25. nec immundum quicquam interdiu intrabit in eam vers. 26.27.

Cap. 22.

1 *DEinde ostendit mihi purũ fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam chrystallum, procedentem ex throno Dei & Agni.*

2 *In medio* autem *foro eius, & ex vtraque parte fluminis,* erat *arbor vitæ adferens fructus duodecim, per menses singulos edens fructum suum, & folia sua ad inseruiendum Gentibus.*

3 *Nec vllum maledictum erit amplius: sed sedes Dei & Agni in ea erit: & serui eius seruient ei.*

4 *Et videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus ipsorum* erit.

5 *Et nox illic non erit, neque opus est eis lumine lucernæ, neque lumine solis: quoniam Dominus Deus illustrat eos: & regnabunt in secula seculorum.*

6 *Tum dixit mihi, Hæc verba fida* sunt *& vera: & Dominus Deus sanctorum Prophetarum misit Angelum suum vt indicet seruis suis quæ oporteat fieri citò.*

7 *Ecce, venio citò: beatus qui obseruat verba Prophetiæ libri huius.*

8 *Ego verò Iohannes,* is sum *qui hæc audiui & vidi. Et quum audissem & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc ostendebat:*

9 Is *verò dixit mihi. Vide ne* feceris*: conseruus enim tuus sum,* & vnus *fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui seruant verba libri huius. Deum adora.*

10 *Deinde dixit mihi, Ne obsignes verba prophetiæ libri huius:*
tempus enim propè est.
11 *Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc:*
& qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.
12 *Ecce, venio citò: & merces mea mecum est, vt reddam vni-*
cuique prout opus ipsius erit.
13 *Ego sum A & Ω, principium & finis, primus & vltimus,*
14 *Beati qui seruant eius mandata: vt sit eis ius in arborem vi-*
tæ, & per portas ingrediantur in vrbem.
15 *Foris autem* erunt *canes & venefici, & scortatores, & homi-*
cidæ, & idololatræ, & quisquis amat ac committit mendacium.
16 *Ego Iesus, misi Angelum meum, vt hæc vobis testificetur in*
Ecclesijs: Ego sum stirps & progenies illa Dauidis, stella splendida &
matutina.
17 *Et Spiritus & sponsa dicunt, Veni. Et qui audit dicat, Veni,*
& qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.
18 *Enimuerò contestor cuiuis audienti verba Prophetiæ libri hu-*
ius, siquis adiecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro
isto:
19 *Et siquis abstulerit* aliquid *ex verbis libri Prophetiæ huius, au-*
feret Deus partem eius è libro vitæ, & ex vrbe sancta, & ex ijs quæ
scripta sunt in libro isto.
20 *Dicit qui testatur ista: Etiam venio citò. Amen. Etiam ve-*
ni Domine Iesu.
21 *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen*

Annotatio.

Deinde ostendit] Tertia expositio nouæ Hierusalem, id est, commoditatum eius vt suprà in cap.21.vers.9.dictum est. Commoditates istæ ad vsum vitæ perquam necessariæ, numero sex sunt. Prima est fluuius aquæ vitæ vers.1. Secunda, arbor vitæ per totum annum fructuum vbertate curua vers.2. Tertia, Thronus Dei & Agni vers.3. Quarta, gratissimus Dei conspectus vers.4. Quinta, perpetua lux, priori parte vers.5. Sexta, regnum æternum, in fine vers.5.

Vers.6.

Tum dixit mihi] Confirmatio tum visionis exhibitæ cap.21. vers.1,2.tum enarrationis cap.21.9. vt ibidem diximus. Summa

est, visio illa, quam cap.21.1,2. vidisti, & vberior eius expositio, quã pluribus verbis à cap.21.9 ad hunc vsque locum, tibi enarraui, vera est ac certa; verba, quæ tibi loquutus sum, fidelia sunt ac vera. Hoc confirmatur quatuor modis: primò, testimonio huius Angeli, qui asserit vera esse verba, quibus visionem exposuit, initio huius sexti versus. Secundò, testimonio Dei, qui in hunc finem Angelum suum misit, vt testificetur hæc verba esse vera, reliqua parte huius sexti versus. Tertiò, testimonio Christi, qui asserit totam hanc apocalypsim, & ita hanc visionis expositionem adeo veram & certam esse, vt beatus habeatur, qui verbis prophetiæ huius fidem habeat, eaque obseruet vers.7. Quartò, testimonio Ioannis Apostoli, qui his auditis ac visis, testatur omnia esse vera, principio versus octaui. Atque hæc est confirmatio non modo enarrationis præcedentis cap.21.9. sed etiam totius huius libri Apoclaypseos.

Vers.8,9.

Et quum audissem] Effectus enarrationis & confirmationis. Reuelatio enim eorum omnium, quæ hoc libro continentur, & confirmatio postremæ visionis de triumphante Ecclesia in cœlis, & expositionis eiusdem, adeo Ioanni erat grata & iucunda, vt sibi temperare non potuit, quin Angelum tanti gaudij ministrum ac nuntiũ, veneretur vt Deum, reliquo hoc versu octauo. Verùm, quia Deus gloriam suam alteri non dabit, Angelus hanc venerationem renuit, & Apostolum reprehendit vers.9. vt suprà cap.19.9.

Vers.10.

Denique dixit] Conclusio totius libri, vt suprà ad cap.21.1. monuimus. Ioannes acceptâ totâ hac reuelatione, multùm apud se dubitauit, vtrum hæc mysteria literis prodita publicaret, an sibi potiùs & pijs paucis reseruaret. Præuidit enim istorum mysteriorum patefactione, futurum, vt impij omnes, & præ cæteris ij maximè, qui hoc libro quasi digito demonstrantur, videlicet Imperatores & Pontifices Romani præsertim, omnem non solum religionem sed etiam humanitatem exuti insanirent, bonos infestarent, & contra Deum ipsum furerent; pij item & fideles serui Christi tædio atque diuturnitate tantorum malorum frangerentur aut defetiscerẽt:
Dum

Dum hæc animo volueret Apostolus, iussit eum Angelus Apocalypsim istam in lucem edere, non autem supprimere. Huius mandati ratio sequitur in fine vers.10. *tempus enim prope est*, scilicet, quo fient quæ hoc libro reuelantur. Quando enim suprà cap.10.4. iussus erat quædam supprimere & obsignare, ratio fuit, quia leuiter castigati perseuerabant obfirmati in improbitate sua. Quando Daniel cap.8.26.& cap.12.4. iussus erat visionem occludere & obsignare, non autem communem statim facere omnibus, ratio hæc redditur, quia dierum multorum erat visio, quia effectus visionis in longum tempus protraheretur. Quando Esaias cap.8.16. & alibi iussus est obsignare & ligare visionem, in causa fuit obstinata populi malitia, qui iam diu verbum Dei & prophetas ita essent ludificati, vt prorsus erant indigni, quibus diutius loqueretur Deus. Sed hoc loco iubetur Apostolus Ioannes hanc Apocalypsim diuulgare & in lucem emittere, præcipuè quia prædicta hoc libro mox effectum erant consequutura, imò iam tum operabatur mysterium iniquitatis, vt facilè pateat cuiuis quæ à cap.4. ad hunc locum annotauimus, consideranti. Deinde vt esset hic liber loco testis contra omnes improbos, vt vers.11. manifestum est. Hac enim ratione iussus est Moses canticum scribere Deut. 31.19. & Ezechiel cap.3.12. prophetare.

Summa igitur huius conclusionis hæc est, vt Apostolus reuelationem hanc totam literarum monumentis consignet, & publicam omnibus faciat, priori parte vers.10. Tum sequuntur rationes duæ; vna, à tempore in fine vers.10. altera, ab effectis vers.11. Tertio loco tum mandatum scribendi & publicandi hanc prophetiam, tum rationes eius duæ multis modis confirmantur. Prima confirmatio sumitur à testimonio Christi, qui primam rationem confirmat vers.12. Secunda confirmatio sumitur à testimonio Dei vers.13. qui secundam rationem confirmat vers.14.& 15. Tertia confirmatio sumitur à testimonio Christi, qui mandatum confirmat argumento à fine sumpto, vers.16. Quarta confirmatio sumitur à communi voto Spiritus sancti, catholicæ & sanctæ Ecclesiæ, & singulorum fidelium, qui primam rationem ratam haberi exoptant vers. 17. Quinta confirmatio sumitur à testificatione & comminatione Ioannis nostri, qui secundam rationem confirmans, denuntiat grauissima iudicia contra profanos huius reuelationis hostes, vers.18,

 19.

19. Sexta confirmatio ſumitur à teſtimonio Chriſti, qui primam rationem confirmat, priori hemiſtichio verſ.20. & cui ſubſcribit Ioannes poſteriori hemiſtichio verſ.20.

Verſ.21.

Gratia] Communis ſalutatio; qua Ioannes, expoſitâ totâ reuelatione iſta, & ratione tam copioſè reddita, cur hæc myſteria in lucem edit, & omnibus legendi & inſpiciendi copiam facit, totum hunc librum claudit.

FINIS.